Florilegium Patristicum
tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

Bernhardus Geyer
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

Johannes Zellinger
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Monacensi Professor ordinarius

Fasciculus XXXIII

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIII

S. Aurelii Augustini

Ad Consentium epistula

Praemissa est Consentii ad s. Augustinum epistula
(In corpore Augustiniano epistulae 120 et 119)

Recensuit

Michael Schmaus
s. theol. doctor et in Universitate Germanica Pragensi
professor extraordinarius

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIII

Imprimatur Coloniae, die 26. Julii 1932. Dr. David Vicarius Archiepiscopi Generalis

Praefatio.

Consentius quidam, quos[1] de Trinitate editurus erat libros, s. Augustino corrigendi causa misit Alypio[2] episcopo Tagastensi qui erat Augustino amicissimus precum suarum apud eum adiutore utens. Augustinus illum rogavit[3], ut ad se veniret mutuoque conloquio, quid emendandum esset, cognosceret. Sed cum Consentius Hipponem ivisset, Augustinus[4] valetudinis infirmitate, ut ruri aliquamdiu esset, coactus inde discesserat. Itaque ad episcopum misit epistulam, qua nonnulla de ratione inter fidem et scientiam intercedente necnon de Trinitate quaerebat. Haec epistula in editione Maurinorum numero 119 signata est. Quo tempore scripta sit, ex eo satis accurate colligi potest, quod Augustinus ruri[5] eam recepit. Hiemem 410—411 ibi eum consumpsisse ex epistula 124[6] intellegimus. Misit enim hanc epistulam ad Albinam, Pinianum, Melaniam, qui anno 410 Roma a Gothis expugnata atque vastata profugi ex Italia Carthaginem et demum Tagasten venerant, et excusavit se, quod propter hiemis rigorem et ecclesiae Hipponensis statum ad eos visendos volare sibi non licuisset. Epistulam 119 igitur anno 410 vel 411 scriptam esse efficitur. Augustinus eam quae in editione Maurinorum numero 120 signatur epistulam rescripsit. Quo tempore haec missa sit, in ipsa nullum extat indicium. Commemorat[7] quidem Augustinus libros, quos de Trinitate in manibus habeat et propter magnitudinem tam difficilis quaestionis nondum perficere et edere possit. In tempore autem constituendo non multum inde proficimus, quoniam libros de Trinitate iuvenem se inchoavisse, senem edidisse epistula 174[8] testatur. Bene tamen conicimus paulo, postquam Consentius interrogavit, Augustinum respondisse.

Quantum ad vitam et conditionem Consentii pauca scimus. Ex epistula 119[9] eum cum multis aliis in insulis quibusdam habitavisse ibique eius magnas in fide atque religione fuisse partes apparet. Augustinus eius ingenium[10] probitatem humilitatem laudat. Ad eundem Consentium Augustinus epistulam 205[11] et librum contra mendacium[12] scribit, hic numquam mentiri licere certe docens, illic interroganti,

[1] Epist. 119, n. 4 et 6, p. 8, 2—32 et p. 9, 15s., 32—10, 14.
[2] Ibid., n. 1, p. 6, 2s. [3] Epist. 120, n. 1, p. 11, 1—8.
[4] Epist. 118, n. 34 (CSEL 34, 2, p. 698, 5s.). Epist. 119, n. 1, p. 6, 4.
[5] Epist. 119, n. 1, p. 6, 4s. [6] CSEL 44, p. 1s. [7] N. 13, p. 24.
[8] Epist. 174 (CSEL 44, p. 650, 15s.). [9] Epist. 119, n. 6, p. 9, 18–21.
[10] Epist. 120, n. 1, p. 11, 2. 8s. [11] CSEL 57, p. 323—339.
[12] CSEL 41, p. 467—528.

quale corpus Christi nunc sit qualiaque corpora nostra post resurrectionem futura sint, respondens. Utrimque[1] perinde ac in ep. 120 Consentius dilectissimus et carissimus frater nominatur. In ep. 205[2] eum eis adnumerat Augustinus, quorum caritas et affectus sibi innotuerit, quos tamen de facie nondum noverit. Quietioribus tamen et tranquillioribus rebus humanis oculis eum se visurum esse sperat. Et[3] in ep. 205 et in libro contra mendacium perlatorem iam ventum exspectantem vehementer se urgere adfirmat ideoque Consentium rogat, ut linguae det veniam, si quid incondite vel inculte dictum legat. Epist. 205[4] ad ea se respondere dicit, quae Consentius praeter epistulam in alia chartula a se quaerenda miserit; quae autem in epistula quaerenda miserit, in aliud tempus se differre. Ad ea Augustinum libro contra mendacium rescripsisse velim concludas. Epist. 205 anno 419, librum contra mendacium anno 420 scriptum esse satis certe definiri potest. Cum libri contra mendacium, ut Augustinus Retract., l. II c. 60 refert, ea causa exstiterit, „quod ad Priscillianistas haereticos vestigandos, qui haeresim suam non solum negando atque mentiendo, verum etiam peierando existimant occulendam, visum est quibusdam catholicis Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent", cumque haeresim Priscillianistarum in Hispania ortam et diffusam esse constet, non sine causa Consentium in insulis prope Hispaniam sitis — haud scio an sint Baleares — habitavisse censes.

Cf. Al. Goldbacher, S. Aureli Augustini Hipponiensis episcopi epistulae, Corpus script. eccl. lat. 58: praefatio editoris et indices, Vindobonae 1923, 33—35, 53 s., 172 s. M. Schanz, Geschichte der römischen Literatur IV 2 (München 1920) 440, 455. E. Bickersteth Birks, in: Dictionary of christian biography I (1877) 622.

Quod attinet ad quaestiones epistula 120 solvendas, quid de fide atque scientia eiusque mutua ratione sentiat, paucis verbis complectitur Augustinus. Integram tamen epistula 120 continet eius sententiam, cuius elementa in aliis operibus ex parte fusius explicantur. Rationem quae inter fidem et scientiam intercedit diiudicans Augustinus, quod scriptores ante eum florentes, ut Origenes, Clemens Alexandrinus, Tertullianus coeperant, persecutus est et perfecit necnon methodo scholasticae medii aevi viam aperuit. Inprimis ille qui Augustinus redivivus vocatur praeclarissimus doctor Anselmus[5] Cantuariensis dicens fidem quaerere intellectum vestigia Augustini ingressus est.

[1] Epist. 205, inscriptio (p. 323, 2). Contra mendacium, n. 1 (CSEL 41, 469). Epist. 120, inscriptio (p. 11).

[2] Epist. 205, n. 1 (p. 323, 3—8); n. 2 (p. 324, 5—8).

[3] Epist. 205, n. 19 (p. 339, 18—21). Contra mendacium, n. 1 (CSEL 41, 469).

[4] N. 1 (p. 324, 8—10).

[5] Proslogium, prooem. (Floril. Patrist. 29, 6sq.); c. 1 (10sq.). Cur Deus homo, c. 1 (Floril. Patrist. 18, 5s.).

De Trinitate in ep. 120 perpauca dicit, ita ut ex ipsa sola minime, quid de hoc mysterio sentiat, cognoscere possis. Immo quindecim libros de Trinitate perlegere necesse est. Inprimis illam, qua summam gloriam doctor Hipponiensis nactus est, Trinitatis explicationem animum humanum respicientem nullo verbo tangit.

Ex epistulae via et argumento patere videtur iis eam esse adnumerandam epistulis, quibus Augustinus quae quisque quaesierat non tantum ipsi explicare, sed populo inlustrare voluit. Quo in genere etiam has epistulas esse constat: 22. 36. 98. 130. 136. 137. 149. 153. 155. 186. 194. 205. 211. 217. 237. (Cf. M. Schanz, l. c., 455.)

Reliquum est, ut de ratione, quam in hac editione secutus sum, pauca dicam. Cum Al. Goldbacher in Corp. script. eccl. lat. 34, 2 hanc epistulam optime ediderit, supervacaneum est denuo omnes codices conferre. Itaque satis habui textum a Goldbacher constitutum, cum perpauca mutassem, recipere notisque augere. Apparatui critico tantum nonnullas graviores variationes adiunxi.

Argumenta epistulae saepissime exposita sunt. Quid Augustinus de ratione inter fidem et scientiam intercedente docuerit, libris explicaverunt:

Nebridius a Mündelheim, Philosophia magni Doctoris ecclesiae et episcopi S. Augustini fidei mysteriis per omnia consentiens ac proinde christiana, Vindobonae 1743, p. I l. 7 c. 8. Th. Gangauf, Verhältnis zwischen Glauben und Wissen nach den Prinzipien des Kirchenlehrers Augustinus, Augsburger Gymnasialprogramm 1851. Andr. Martin—Jul. Fabre, Sancti Aurelii Augustini Hipponensis episcopi philosophia, Parisiis 1863, 549—552. J. F. Nourisson, La philosophie de S. Augustin, Paris 1865, II 282—290. L. Abröll, Die Lehre des vatikanischen Konzils vom Glauben, nachgewiesen aus den Schriften des hl. Augustin, Passauer Studiengrogramm 1872. A. Dorner, Augustinus, sein theol. System und seine religionsphilosophische Anschauung, Berlin 1873, 233—244. A. Dupont, La philosophie de S. Augustin, Louvain 1881, 12—22. H. Reuter, Augustinische Studien, Gotha 1887, 345 ss. Jul. Hähnel, Verhältnis des Glaubens zum Wissen bei Augustin, ein Beitrag zu Augustins Erkenntnistheorie, Chemnitz 1891. W. Schwenkenbecher, Augustins Wort: Fides praecedit rationem, erörtert nach dessen Schriften, Progr., Sprottau 1899. Jules Martin, L'Apologétique traditionnelle I (Paris 1905) 115—199. B. Warfield, Augustine's doctrine of knowledge and authority, in: The Princeton theological Review 5 (1907) 353—397, 529—578. E. Portalié, Augustin (Saint) in: Dictionnaire de théologie catholique I (Paris 1909) 2267—2472. Jos. Mausbach, Die Ethik des hl. Augustinus, 2. Aufl., Freiburg 1929, I 128—137. M. Grabmann, Die Geschichte der scholastischen Methode I (Freiburg 1909) 129—133.

Idem, Augustins Lehre von Glauben und Wissen und ihr Einfluß auf das mittelalterliche Denken. In: Aurelius Augustinus. Die Festschrift der Görres-Gesellschaft zum 1500. Todestage des hl. Augustinus, herausgegeben von M. Grabmann und J. Mausbach, Köln 1930, 87—110. J. Batiffol, Le catholicisme de Saint Augustin, Paris 1920. M. Schmaus, Die psychologische Trinitätslehre des hl. Augustinus, Münster 1927, 169—176. E. Gilson, Introduction à l'étude de saint Augustin, Paris 1929, 31—43. Idem, L'idée de philosophie chrétienne chez saint Augustin et chez saint Thomas d'Aquin. In: Vie intellectuelle 8 (1930) 46—62. Idem, Réflexions sur la controverse S. Thomas — S. Augustin. In: Melanges Mandonnet (Bibliothèque thomiste 13 s.), Paris 1930, I 371—383. C. Boyer, S. J., Philosophie et théologie chez saint Augustin. In: Revue de philosophie 30 (1930) 503—518. B. Capelle, O. S. B., Le progrès de la connaissance religieuse d'après S. Augustin. In: Recherches de théologie ancienne et médiévale 2 (1930) 410—419. M. Comeau, Saint Augustin exégète du quatrième évangile, Paris 1930. Despiney, Le chemin de la foi d'après saint Augustin. In: Vézelay, Magasin du „Pélerin de Vézelay" 1930. J. Geyser, Die erkenntnistheoretischen Anschauungen Augustins zu Beginn seiner schriftstellerischen Tätigkeit. In: Aurelius Augustinus. Die Festschrift der Görres-Gesellschaft zum 1500. Todestage des hl. Augustinus, Köln 1930, 63—86. E. Krebs, Sankt Augustin. Der Mensch und Kirchenlehrer, Köln 1930. B. Pergamo, O. F. M., De S. Augustini methodo apologetica. In: Antonianum 6 (1931) 3—36. A. Pincherle, Sant' Agostino d'Ippona vescovo e teologo, Bari 1930.

Videas velim etiam libros, quibus vel philosophia s. Augustini vel historia dogmatum tractatur, quorum plurimos Gilson, Grabmann, Schmaus in operibus supra laudatis allegant.

Quomodo s. Augustinus mysterium ss. Trinitatis exposuerit et explicaverit, ex his operibus intellegere potes: Th. Gangauf, Des hl. Augustinus spekulative Lehre von Gott dem Dreieinigen, Augsburg 1865. M. Schmaus, op. cit. F. Cavallera, La doctrine de Saint Augustin sur l'Esprit Saint à propos du „De Trinitate", in: Recherches de théologie ancienne et médiévale 2 (1930) 365—387, 3 (1931) 5—19. L. Legrand, La notion philosophique de la Trinité chez saint Augustin, Paris 1931. R. Boigelot, S. J., Le mot „personne" dans les écrits trinitaires de saint Augustin. In: Nouvelle Revue théologique 57 (1930) 5—16.

Pragae, Die Pentecostes 1932.

Sigla.

(Sunt eadem, quibus utitur Goldbacher.)

B = Codex Bononiensis 58, s. IX.
O = Cod. Audomaropolitanus 142, s. XIII.
P = Cod. Parisinus 1929, s. XIII.
T = Cod. Trecensis 40, s. XIII.
a = editio princeps Amerbachiana.
e = Erasmi editio Frobeniana
f = editio Frobeniana altera
l = Lovaniensium editio
s = supplementum Vignieri
r = Reinharti editio
m = Maurinorum editio = Migne, PL 33, 449—462
edd. = omnes editiones.

EPISTULA 119.

Domino sancto ac beatissimo papae Augustino Consentius.

1. Iam quidem sancto mihique cunctis animi virtutibus admirando fratri tuo Alypio[1] episcopo genus petitionis meae brevi sermone suggesseram sperans, precum mearum ut apud te esse adiutor dignaretur. Sed quia praesentiam mihi tuam ea, quae ad villam ire compulit, causa fraudavit, malui litteris precem inserere quam expectationem animi fluctuare, maxime cum id, quod postulo, si mihi concedi oportere perspexeris, adiuvare sensum tuum altissima mysteria perscrutantem loci ipsius, ut arbitror, in quo nunc consistis, valeat solitudo. Ego[2] igitur cum apud memet ipsum prorsus definierim veritatem rei divinae ex fide magis quam ex ratione percipi oportere — si enim fides sanctae ecclesiae ex disputationis ratione, non ex credulitatis pietate adprehenderetur, nemo praeter philosophos atque oratores beatitudinem possideret. Sed quia placuit Deo, qui *infirma*[3] *huius mundi elegit, ut confundat fortia, per stultitiam praedicationis salvare credentes*, non tam ratio requirenda de Deo quam auctoritas est sequenda sanctorum.

2 episcopo *om. OT edd.praeter m* 13 mundi huius *edd.*

[1] Sanctus Alypius, episcopus Tagastensis, erat Augustini discipulus et amicus. In Confessionibus saepius commemoratur eiusque egregia et amabilis indoles commendatur. In oppido Numidiae Tagastensi post annum 354 ex parentibus nobilibus natus, una cum Augustino Carthagine ad studia grammaticae et rhetoricae incubuit, postea Romae diuturnam perdiscendis iuris prudentiae legibus impendit operam. Cum Augustino ad profitendam Mediolani rhetoricam evocato inde Mediolanum discessit. Fuit hic cum ipso Augustino catechumenus. Cum Augustinus anno 386 munere rhetoris se abdicaret et cum matre cognatis amicis in agellum Cassiciacum familiarissimi Verecundi grammatici prope Mediolanum situm secederet, Al. eum secutus est, ut rebus divinis et philosophiae vacans ad baptisma se praepararet. Quo accepto cum Augustino in Africam rediit ibique cum ipso societate evangelicae vitae coniunctus mansit usque ad annum 394. Sacerdos factus in Palaestinam profectus est ad S. Hieronymum. Anno 394 vel 395 Tagastensium episcopus factus est. Quidquid magnum praestitit Augustinus, id fere totum Alypii consilio susceptum et promotum auxilioque confectum est ne victoria quidem illa de Pelagianis quae Augustiniano nomini tantum gloriae peperit excepta. Augustinus ad eum dedit ep. 29, 83, 125, 127. Una cum ipso ab Augustino missae sunt ep. 41, 45, 53, 62, 69, 70, 170, 171, 186, 188. Cf. etiam ep. 248. Vide ulterius Acta Sanctorum Aug. III (1867) 201—208. Al. Goldbacher, S. Aureli Augustini Hipponiensis episcopi epistulae, pars V (CSEL 58), Index, 120—122. H. Lesaar, Alypius, in: Miscellanea Augustiniana, Rotterdam 1930, 220 sq. [2] 8—15 = p. 11, 25—12, 4. [3] 1. Cor. 1, 27. 21.

Nam profecto neque Arriani, qui Filium, quem genitum confitemur, iuniorem putant, in hac impietate persisterent neque Macedoniani Spiritum Sanctum, quem neque genitum neque ingenitum credimus, quantum in ipsis est, a divinitatis arce detruderent, si scripturis sanctis magis quam suis ratiocinationibus accommodare fidem mallent —

2. tamen tu, vir admirabilis, si tibi ille Pater noster solus conscius secretorum, *qui*[1] *habet clavem David*, serenissimo cordis obtutu caelorum machinam penetrare concessit et *revelata*[2], ut scriptum est, *facie gloriam Domini speculari*, in quantum tibi ille, qui huius modi cogitationem dedit, promendi dederit facultatem, enuntia nobis aliquam ineffabilis substantiae portionem et imaginem similitudinis eius ipso adiuvante exprimere, in quantum potes, verbis enitere, quoniam, nisi tu tantae rei dux ac magister adfueris, velut lippientibus oculis prospicere in eam tanti luminis repercussa fulgore cogitatio nostra formidat. Intra ergo in illam, quae nostros arcet intuitus, mysteriorum Dei obscurissimam nubem et quaestiunculas, in quibus absolvendis me errasse cognosco, qui auctoritatem sanctitatis tuae fide magis sequi volo quam rationis corde conceptae falsa imagine depravari, primum in memet ipso, dehinc in libris corrige.

3. Ego si quidem in circumspecta admodum simplicitate audiens credensque Dominum Jesum lumen esse de lumine, sicut scriptum est: *Bene*[3] *nuntiate diem de die salutare eius* et in Sapientia Salomonis: *Candor*[4] *est enim lucis aeternae*, credebam Deum, quod licet credere, ut dignum est, non valebam, tamen esse inaestimabilis cuiusdam lucis infinitam magnitudinem, cuius nec qualitatem aestimare nec quantitatem metiri nec speciem fingere quamquam sublime cogitans mens humana sufficeret, tamen esse illud quiddam, quicquid est, cui adsit incomparabilis forma, adsit inaestimabilis pulchritudo, quam etiam carnalibus oculis saltem Christus aspiciat, cum ergo circa finem primi libri, sicut procul dubio meminisse dignaris, cupiens comprobare Dominum Jesum Christum, id est hominem adsumptum ita divinam potentiam possidere, ut materia carnis humanae, quam susceperat, permaneret, — cum in illis visceribus nihil aliud quam infirmitatem perisse docuissem, illius mihi nodus quaestionis obiectus est: „Si", inquit, „homo ille, quem adsumpsit Christus, in Deum versus est, ergo localis esse non debuit; cur ergo post resurrectionem dixit: *Noli*[5] *me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum?*"

---

2 iuniorem] minorem *edd.* 4 detruderent] deducerent *P* 7 serenissimi *m* 16 et *om. PTedd.* 17 errare *OPTedd.* 21 Christum *post* Jesum *add. Pedd.* 28 adsit *om. OPTedd.* 32 possidere potentiam *OPTedd.* 33 cum *om. O* quam *PTedd.* nihil *Goldbacher* nisi *codd. edd.* 34 docuissem] dicimus *OPTedd. praeter m.*

---

[1] Apoc. 3, 7. [2] 2. Cor. 3, 18. [3] Ps. 95, 2. [4] Sap. 7, 26. [5] Joh. 20, 17.

4. Ego igitur elaborans adprobare ubique esse Christum virtute non corpore, divinitate non carne de unitate Dei et personarum trinitate huiusce modi verba conscripsi: „Deus“, inquam, „unus est, personae tres sunt. Deus indiscretus est, personae discretae sunt. Deus intra omnia, trans omnia est, ultima includit, media implet, summa transcendit, ultra universa et per universa diffunditur; personae autem sibi constantes proprietate secernuntur, non confusione miscentur. Deus ergo unus est et ubique est, quia et alius praeter illum non est et locus non est vacuus, ubi esse alius possit. Plena sunt Deo omnia et praeter Deum nihil est. Ipse est in Patre, ipse in Filio, ipse in Spiritu Sancto ac per hoc Pater et Filius et Spiritus Sanctus non plures dei, sed ipse unus Deus est; et non est ipse Pater, qui est Filius, nec Filius, qui Spiritus Sanctus. Pater in Filio est, Filius in Patre, in utroque Spiritus Sanctus, quia in tribus numero non ordine, id est personis non virtute discretis unus atque indivisibilis habitat Deus. Omnia, quae Patris sunt, Filii sunt et, quae Filii sunt, Patris sunt et, quae utriusque sunt, Spiritus Sancti sunt, quia non quasi aequalem, sed eandem, id est unitam non separatam possident substantiam deitatis; et ideo vel maiestate vel aetate alter alterum non praecedit, quia dividi, quod plenum est, non potest nec est in plenitudine aliquid, quod possit plenitudinem separare et maiorem uni minorem alteri facere portionem. In personis autem non ita est, quia Patris persona non est Filii nec Filii persona eadem est Spiritus Sancti. Una virtus est, quam trina possidet virtus, una substantia est, in qua tria sunt, quae subsistunt. Pater ergo et Filius et Spiritus Sanctus maiestate ubique sunt, quia unum sunt, personis tantum apud se sunt, quia tres sunt.“ Et reliqua huius modi texens rem eo usque deduxi, ut praesentes quidem et ubique esse personas, sed illa, quae supra caelos trans maria ultra inferos una atque eadem est, maiestate firmarem. Ex quo intellegi debere monstrabam hominem, quem Christus adsumpsit, in Deum quidem versum susceptam non amisisse naturam, non tamen quasi quartam credi posse personam.

5. Sed tu, vir, cui caelum, ut arbitror, ipsum subtilitate cogitationum intrare concessum est — verax etenim est, qui ait: *Beati*[1] *mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* — super omnia sidera ad ipsam contemplati-

2 corpore] opere *OPTedd.* 3 huiusmodi *OPTedd.* et *post* unus est *add. edd.* 6 sibi] sunt *OPTedd. praeter m* 11 per] post *OPTedd. praeter m* dii *OPedd.* 12 est deus *OPTedd.* est *ante* spiritus *add. edd.* 17 non quasi *om. OPTedd. praeter m* 18 unicam *edd.* 21 reparare *OPTedd. praeter m* minorem] maiorem *OT* 28 illam *OPTedd.* 29 maiestatem *O* 32 posse *om. OPTedd. praeter m* 35 quia] quoniam *Tedd.* (*sec. Vulg.*)

[1] Matth. 5, 8.

onem altitudinem mundi cordis adtollens ais[1] non tamquam aliquod corpus debere cogitari Deum; nam etiam si quispiam animo lucem milies, quam huius solis est, clariorem maioremque confingat, nullam illic Dei similitudinem comprehendi posse, quia corpus est omne, quod cerni potest; sed sicut iustitiam vel pietatem corpoream cogitare non possumus, nisi forte aliqua nobis feminea corpora gentili vanitate fingamus, ita et Deum sine aliqua phantasiae simulatione, in quantum possumus, cogitandum. Mihi autem, qui subtilitatem disputationis tuae percipere admodum corde vix possum, videbatur[2] nihil vivum secundum substantiam inesse iustitiae ideoque non possum adhuc Deum, id est viventem naturam iustitiae similem cogitare, quia iustitia non in se, sed in nobis vivit, immo potius nos secundum iustitiam vivimus, ipsa vero per se iustitia nequaquam vivit, nisi forte non huius humanae aequitatis, sed illa, quae Deus est, sola adseratur esse iustitia.

6. Unde confirmari me ex omnibus non solum praesentibus verbis, sed etiam pleniori epistula velim. Neque enim fas est, ut nostri tantum pedes ab ista, in qua multi ingredimur, erroris via te monente revocentur. Cum enim multi in illis, in quibus habitamus, insulis dum recto ad viam pergunt aggere, in tramitem tortuosi huius erroris incurrerint, eritne aliquis illic Augustinus, cuius auctoritati cedant, cuius doctrinae credant, cuius ingenio superentur? An forte ex illo paternitatis affectu mavis me occulta admonitione dirigere quam velut comitem pravi itineris increpare? Sed mihi pro utilitate animae magis quam pro saeculi laude currere cupienti non est inutilis ac perinde etiam non amara coargutio tua, maxime cum et mihi et ceteris vitam simul laudemque paritura sit, nemo si quidem tam iniustus esse arbiter potest, qui me ex eo, quod aliquando devia sum secutus, stultitiae denotare malit, quam ex eo, quod recta delegerim, prudenter iudicare cunctetur. Neque enim stulti aestimandi sunt, quos Paulus apostolus, ne in incertum currerent, admonebat dicens: *Sic[3] currite, ut adprehendatis.* Quapropter via ista, quam currimus, non solum relinquenda nobis verum etiam intercludenda atque praecidenda tibi est, ne forte etiam eos fallaci dilectionis simulatione frustretur. Tu enim non editorum iam

---

1 adtollens *Goldbacher* adtolles *B* attollis *OPTedd.* 3 est *om. OPTedd.* 6 aliqua forte *OPTedd.* 8 tuae] tepido *edd.* 9 mihi *post* videbatur *add. BPT* 13 iustitia per se neq. *OTedd.* iust. neq. per se *P* per se iust. per se neq. *B* 15 verbis *om. OPTedd. praeter m* 17 movente *OT* 22 commonitione *OPTedd.* 24 proinde *edd.* 26 arbiter] ut arbitror *OPTedd.* 28 recta *om. OPTedd. praeter m* 30 comprehendatis *OPTedd.* (*sec. Vulg.*) 31 quapropter] quia *OPTedd. praeter m* 32 tibi *om. OPTm* nobis *ceterae edd.*

---

[1] Confess. l. VII cc. 1—2 (CSEL 33, 140—142). De genesi contra Manich., l. I c. 17 n. 26 s. (MSL 32, 186 s.). Contra epist. Manichaei quam vocant fundamenti, c. 15 (MSL 42, 184). [2] 9—14 = p. 29, 4—30, 20.

[3] 1. Cor. 9, 24.

a me librorum lector sed probandorum emendator, ni fallor, electus es. Nam in illa epistula, quam in illis libellis meis velut praefatiunculam praetuli, huius modi verba conscripta sunt: „Placuit“, inquam, „fluctuantem fidei nostrae cymbam beati Augustini episcopi stabilire sententia.“ Cur ergo, vir doctrinae huius, quae in Christo est, culmen, arguere palam corrigendum de cetero filium dubitas, cum sententiae tuae ancora, nisi morsum altius presserit, nos certius stabilire non possit? Non enim levis aut culpa aut quaestio est, in qua non solum nihil profecit, verum etiam, sicut a te fortissime dictum est, quasi cuiusdam idolatriae crimen caecitas nostrae cogitationis incurrit. Hanc[1] a te caute prudenterque discuti vellem, ut doctrinae tuae ingeniique serenitas ita nebulam nostrae mentis abstergat, ut, quod nunc cogitare non possumus, intellegentiae a te lumine declaratum oculis cordis videre valeamus. Incolumis ac beatus nostrique in aeternum memor caelestia regna possideas, domine sancte ac beatissime papa.

2 meis libellis *OPT edd.* 8 culpa aut] culpata *OPT edd. praeter s* culpa *s* est *om. OPT edd.* 9 sicut] post *OPT* post ut *edd.* quasi cuiusdam *om. OPT edd.* 10 idololatriae *edd.* 14 nostrique *om. OPT edd.*

[1] 11—15 = p. 11, 19—22.

EPISTULA 120.

Fratri dilectissimo et in Christi visceribus honorando Consentio Augustinus in Domino salutem.

I. 1. Ego propterea, ut ad nos venires, rogavi, quoniam in libris tuis valde sum tuo delectatus ingenio. Proinde volui, ut quaedam nostra opuscula, quae arbitratus sum tibi esse necessaria, non procul a nobis positus sed potius apud nos legeres, ut ea, quae forte minus intellexisses, non difficulter praesens interrogares atque ex nostra sermocinatione mutuoque conloquio, quantum Dominus et nobis promere et tibi capere tribuisset, quid in libris tuis emendandum esset, ipse cognosceres, ipse emendares. Eius quippe es facultatis, ut possis, quae senseris, explicare, eius porro probitatis et humilitatis, ut merearis vera sentire. Et nunc in eadem sum, quae nec tibi debet, displicere, sententia, unde te nuper admonui, ut in his, quae a nobis elaborata apud te legis, signa facias ad ea loca, quae te movent, et cum his ad me venias et de singulis quaeras. Nondum quae fecisti, exhortor, ut facias. Recte quippe verecundareris ac te pigeret id agere, si vel semel voluisses et me difficilem repperisses. Illud quoque dixeram, cum a te audissem, quod mendosissimis fatigareris codicibus, ut in nostris legeres, quos emendatiores posses ceteris invenire.

2. Quod autem petis, ut quaestionem Trinitatis, hoc est[1] de unitate divinitatis et discretione personarum caute[2] prudenterque discutiam, ut doctrinae meae, sicut dicis, ingeniique serenitas ita nebulam vestrae mentis abstergat, ut, quod nunc cogitare non potestis, intellegentiae a me lumine declaratum oculis quodam modo videre possitis, vide prius, utrum ista petitio cum tua superiore definitione concordet. Superius quippe in eadem ipsa epistula, in qua hoc petis, apud temet ipsum definisse te dicis „veritatem[3] ex fide magis quam ex ratione percipi oportere; si enim fides", inquis, „sanctae ecclesiae ex disputationis ratione et non ex credulitatis pietate adprehenderetur, nemo

---

8 quae] ea quae *OPT edd.* 21 poteris *OPT* potes *edd. praeter m* 22 declaratum *Goldbacher* declarato *B* declarationis *OPT edd. praeter m*; cf. p. 10, 13 oculis *om. OPT edd. praeter m* possitis] possis *OPT edd. praeter m* 23 superiori *OPT edd.* 25 ex fide ver. m. *OT edd.* ex f. m. ver. *P*

---

[1] Cf. De civ. Dei l. XI c. 24 (CSEL 40, 1 p. 547).
[2] Cf. Epist. 119 n. 6 p. 10, 11—15. [3] Cf. Epist. 119 n. 1, p. 6, 9—15.

praeter philosophos atque oratores beatitudinem possideret. Sed quia placuit Deo", inquis, „qui *infirma*[1] *huius mundi elegit, ut confunderet fortia, per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*, non tam ratio requirenda quam auctoritas est sequenda sanctorum." Vide ergo, secundum haec verba tua ne potius debeas maxime de hac re, in qua praecipue fides nostra consistit, solam sanctorum auctoritatem[2] sequi nec eius intellegentiae[3] a me quaerere rationem. Neque enim cum

2 inquis deo *OPT edd.*

[1] 1. Cor. 1, 27. 21.

[2] De auctoritate ut fonte cognitionis videas Contra Academicos, l. III c. 20 n. 43 (CSEL 63, 80): Nulli autem dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum auctoritatis atque rationis. Mihi ergo certum est nusquam prorsus a Christi auctoritate discedere; non enim reperio valentiorem. Quod autem subtilissima ratione persequendum est — ita enim iam sum affectus, ut quid sit verum non credendo solum, sed etiam intellegendo adprehendere impatienter desiderem — ... Cf. etiam De ordine, l. II c. 9 n. 26 (CSEL 63, 165): Ad discendum item necessario dupliciter ducimur, auctoritate atque ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim, quod in agendo anteponitur, aliud, quod pluris in appetendo aestimatur. Itaque quamquam bonorum auctoritas imperitae multitudini videatur esse salubrior, ratio vero aptior eruditis, tamen, quia nullus hominum nisi ex imperito peritus fit, nullus autem imperitus novit, qualem se debeat praebere docentibus et quali vita esse docilis possit, evenit, ut omnibus bona magna et occulta discere cupientibus, non aperiat nisi auctoritas ianuam.

Quibus ex verbis apparet auctoritatem esse principium omnis cognitionis salutaris. Idem clarius patet De moribus ecclesiae cath. et de moribus Manichaeorum, l. I c. 2 n. 3 (MSL 32. 1311 s.): Unde igitur exordiar? Ab auctoritate an a ratione? Naturae quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem praecedat auctoritas. Nam infirma ratio videri potest, quae cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, adsumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt; saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem et sentiunt et loquuntur et gerunt nihilque aliud maxime dicunt nisi rationem prius esse reddendam, morem illis geram; quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Delectat enim me imitari, quantum valeo, mansuetudinem Domini mei Jesu Christi, qui etiam ipsius mortis malo, quo nos exuere veliet, indutus est. Cf. etiam De vera religione, c. 24 n. 45 (MSL 34, 141).

[3] Intellegentia et ratio hoc modo differunt: Et ratio et intellegentia naturaliter insunt menti (De civ. Dei, l. XI c. 2; CSEL 40, 1 p. 513). Intellegentia vel intellectus (cf. Enarr. in Ps. 31 n. 9; MSL 36, 263) est summa pars mentis (De libero arbitrio, l. I c. 1 n. 3, MSL 32, 1223; Enarr. in Ps. 3 n. 3, MSL 36, 70; De divers. quaest. 83 q. 7, MSL 40, 13), nempe potentia, qua anima — substantiam animae eiusque potentias easdem esse nec ullo modo re differre constat — Deo inluminante immediate aeternas veritates intuetur (In Ioan. tr. 15 c. 4 n. 19; MSL 35, 1516 s.; Enarr. in Ps. 32 n. 22; MSL 36, 296). „Ratio est mentis motio ea, quae discuntur, distinguendi et conectendi potens" (De ordine l. II c. 11 n. 30;

coepero te in tanti huius secreti intellegentiam utcumque introducere, quod, nisi Deus intus adiuverit, omnino non potero, aliud disserendo facturus sum quam rationem, ut potero, redditurus. Quam si a me vel a quolibet doctore non inrationabiliter flagitas, ut, quod credis, intellegas, corrige definitionem tuam, non ut fidem respuas, sed ut ea, quae fidei firmitate iam tenes, etiam rationis luce conspicias.

3. Absit namque, ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus[1] excellentiores creavit. Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus, cum etiam credere[2] non possemus, nisi rationales[3] animas haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione percipere nondum valemus, sed aliquando valebimus, fides[4] praecedat rationem,

---

8 ut] ne *OPT edd. praeter m* 9 ne] ut *OPT edd. praeter m* 10 rationabiles *O* 11 nondum percipere *O edd.*

CSEL 65, 168), id est: potentia, qua anima gradatim conclusionibus mediantibus cognoscendo progreditur. Ratione ducimur ad intellegentiam (Sermo 43, c. 2 n. 3 — c. 3 n. 4; MSL 38, 254—258: Sed aliud est intellectus, aliud ratio. Nam rationem habemus et antequam intellegamus; sed intellegere non valemus, nisi rationem habeamus . . . Nam ideo vult intellegere, quia ratio praecedit.). Notandum tamen Augustinum etiam inter rationem superiorem et inferiorem distinguere et nonnumquam rationem superiorem eandem esse ac intellegentiam docere, exempli gratia De quantitate animae, c. 27 n. 53; MSL 32, 1065. Hic motionem, qua mens aspectum veritatis vel rationem adipiscitur, ratiocinationem vocat. De trin., l. XII c. 3 (MSL 42, 999). Cf. E. Gilson, Introduction 54, 148. M. Schmaus, op. cit. 200, 266—271, 288. A. Gardeil, La structure de l'âme et l'expérience mystique, Paris 1927.

[1] Cf. De ordine, l. II c. 19 n. 49 (CSEL 63, 181 s.). De quant. animae, c. 33 nn. 70—72 (MSL 32, 1073—1075). In Ioann. tr. 3 n. 4 (MSL 35, 1398). Ibid. tr. 8 n. 2 (1451). In ps. 29 enarr. 2 n. 2 (MSL 36, 218).

[2] Credere enim nihil aliud est nisi cum assensione cogitare. De praedest. sanctorum, c. 2 n. 5 (MSL 44, 963): Quanquam et ipsum credere nihil aliud est quam cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat credit; cum ideo cogitent plerique, ne credant; sed cogitat omnis qui credit et credendo cogitat et cogitando credit. Cf. De trin., l. I c. 3 n. 6 (MSL 42,823); l. II prooem. (845); l. VIII c. 5. n. 8 (952 s.); In Ioann. tr. 18 n. 1 (MSL 35, 1536): Itaque, carissimi, valde caute haec audire debemus, ad quae capienda parvuli sumus; et corde pio et cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod secundum fidem qua imbuti sumus, intellegere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus; quod autem secundum sanam fidei regulam intellegere nondum potuerimus, dubitationem auferamus, intellegentiam differamus.

[3] Quomodo rationalis et rationabilis differant, videas De ordine, l. II c. 11 n. 31 (CSEL 63, 169).

[4] Etsi hominem nonnullas veritates naturales sua ipsius ratione invenire posse Augustinus contra Academicos demonstrat, tamen ad cognoscendas veritates saluti inservientes semper fidem praecedere rationem necesse esse iterum atque iterum contendit: De libero arbitrio, l. II c. 2 n. 6 (MSL 32, 1243): Recte meministi, quod etiam in exordio superioris disputationis a nobis positum esse, negare non possumus. Nisi enim aliud esset credere et aliud intellegere et primo

qua cor[1] mundetur, ut magnae rationis capiat et perferat lucem, et hoc utique rationis est. Et ideo rationabiliter dictum est per prophetam:

1 et² *om. OPT edd.*

credendum esset, quod magnum et divinum intellegere cuperemus, frustra propheta dixisset: Nisi credideritis, non intellegetis (Is. 7, 9 sec. Sept.). Ipse quoque Dominus noster et dictis et factis ad credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit. Sed postea cum de ipso dono loqueretur, quod erat daturus credentibus, non ait: Haec est autem vita aeterna ut credant; sed haec est, inquit, vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum (Jo. 17, 3). Deinde iam credentibus dicit: Quaerite et invenietis (Matth. 7, 7). Nam neque inventum dici potest, quod incognitum creditur, neque quisquam inveniendo Deo fit idoneus, nisi antea crediderit, quod est postea cogniturus. Quapropter Domini praeceptis obtemperantes quaeramus instanter. Quod enim hortante ipso quaerimus, eodem ipso demonstrante inveniemus, quantum haec in hac vita et a nobis talibus inveniri queunt. Nam et a melioribus etiam dum has terras incolunt, et certe a bonis et piis omnibus post hanc vitam, evidentius atque perfectius ista cerni obtinerique credendum est, et nobis ita fore sperandum est et ista contemptis terrenis et humanis omni modo desideranda et diligenda sunt. De utilitate credendi, c. 12 n. 27 (CSEL 25, 1 p. 34); c. 14 n. 30 (p. 37). Sermo 118 n. 1 (MSL 38, 672): Si non potes intellegere, crede ut intellegas; praecedit fides, sequitur intellectus. Sermo 126 c. 1 n. 1 (MSL 38, 698). In Ioan. tr. 29 n. 6 (MSL 35, 1630): Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quaerere intellegere, ut credas; sed crede, ut intellegas. Ibid. tr. 27 n. 7 (1618); tr. 36 n. 7 (1667); tr. 40 n. 9 (1690): Credimus ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. De trin., l. I c. 1 n. 1 (MSL 42, 189): Lecturus haec quae de Trinitate disserimus, prius oportet ut noverit stilum nostrum adversus eorum vigilare calumnias qui fidei contemnentes initium, immaturo et perverso rationis amore falluntur. L. VIII c. 5 (952): Priusquam intellegas, credere debemus. L. IX c. 1 n. 1 (961): Sed ea recta intentio est, quae proficiscitur a fide. Certa enim fides utcumque inchoat cognitionem. L. XV c. 2 n. 2 (1057 s.). De peccat. mer. et remiss. l. I c. 21 n. 29 (MPL 44, 125). Eandem sententiam invenies apud scriptores eccl. ante Augustinum florentes; exempli gratia: Clemens Alexandrinus, Stromata, l. I c. 9 n. 43 (ed. O. Stählin, II 28 s.); l. VI c. 14 n. 108 s. (486); l. VII c. 10 n. 57 (III 42). Origenes, De principiis praef. n. 3 (ed. P. Koetschen 9). Basilius, Epist. 38 (MSG 32, 336). Homilia in ps. 115 n. 1 (MSG 30, 104). Cyrillus Alex., in Ioann. l. 4 c. 4 (MSG 73, 628). Tertullianus, Adversus Marcionem, n. 20 (CSEL 37, 487); n. 25 (504).

[1] De hoc effectu fidei videas Soliloq. l. I c. 6 n. 12 (MSL 32, 875 s.). De ordine, l. II c. 9 n. 27 (CSEL 63, 166): Doceat (auctoritas divina) enim oportet et factis potestatem suam et humilitate clementiam et praeceptione naturam, quae omnia sacris, quibus initiamur, secretius firmiusque traduntur, in quibus bonorum vita facillime non disputationum ambagibus sed mysteriorum auctoritate purgatur. De libero arbitrio, l. II c. 2 n. 6 (cf. notam antecedentem). Enarr. in Ps. 118 sermo 18 n. 3 (MSL 37, 1552): Ipsa fide qua credit sanatur, ut intellegat ampliora. De doctrina christiana, l. II c. 12 n. 17 (Floril. Patrist. 24, 27). Epist. 147 c. 19 n. 46 (Floril. Patrist. 23, 28 s.). De trin., l. I c. 1 n. 3 (MSL 42, 821); c. 2 n. 4 (822); l. IV c. 21 n. 31 (910); l. VIII c. 4 n. 6 (951); In Ioann. tr. 36 n. 7 (MSL 35, 1667): Ideo credis quia non capis; sed credendo fis idoneus ut capias. Nam si non credis, nunquam capies; quia minus idoneus remanebis. Fides ergo mundet te, ut intellectus impleat te. Etiam scriptores ecclesiastici ante Augustinum florentes, priusquam veritates fidei intellegi possent, animum esse mundandum

Nisi[1] *credideritis, non intellegetis.* Ubi procul dubio discrevit haec duo deditque consilium, quo prius credamus, ut id, quod credimus, intellegere valeamus. Proinde ut fides praecedat rationem, rationabiliter iussum est. Nam si hoc pracceptum rationabile non est, ergo inrationabile est; absit. Si igitur rationabile est, ut magnam quandam, quae capi nondum potest, fides antecedat rationem, procul dubio quantulacumque ratio[2], qua hoc persuadet, etiam ipsa antecedit fidem.

---

3 valeamus *edd.* debeamus *BOPT*; cf. p. 13, 12 et p. 17, 9. 4 iussum] visum *O edd.* 5 magnam *Goldbacher* magna *codd. et edd.*; cf. p. 14, 1 et 15, 6 s. ad *ante* magna *add. m* quaedam *OPT edd.* 6 potest] possunt *edd.* antecedat] praecedat *edd.* 7 qua *BOPT* quae *edd.*

---

iterum atque iterum docuerunt, exempli gratia Theophilus, Ad Autol. l. I c. 2 (ed. Otto, p. 9—13; Corpus apologetarum 8). Athenagoras, Legatio n. 27 (ed. E. Schwartz, Texte und Untersuchungen, IV 2 p. 36). Justin, Dial. c. 4 (ed. Otto, p. 17—23). Epistola ad Diognetum c. 10 (ed. F. X. Funk, p. 62, Sammlung ausgewählter kirchen- und dogmengeschichtlicher Quellenschriften, II 1). Gregorius Nyss., De beatit. or. VI (MSG 44, 1269 CD). In illud tunc (MSG 44, 1317 A). Tertullianus, Apolog. c. 18 (ed. G. Rauschen, Floril. Patrist. 6, 59—62). Cf. etiam Plotinus, Enn. IV l. 8, 1; Enn. V l. 3, 17.

[1] Is. 7, 9 sec. Septuag. Hic textus sacrae scripturae et a s. Augustino et ab aliis Patribus saepissime allegatur: Augustinus, De libero arbitrio, l. II c. 2 n. 6 (MSL 32, 1243). De magistro, c. 11 n. 37 (MSL 32, 1216). De diversis quaest. 83 q. 68 n. 3 (MSL 40, 71 s.). De doctrina christiana, l. II c. 12 n. 17 (Floril. Patrist. 24, 27). De trin., l. XV c. 2 n. 2 (MSL 42, 1058). In Ioann. tr. 29 n. 6 (MSL 35, 1630). Sermo 43 (MSL 38, 254—258). Sermo 126 c. 1 n. 1 (MSL 38, 698). Semel Augustinus versionem Vulg. sequitur: De doctrina christiana, l. c. Inter alios scriptores textu Isaiae secundum Septuag. utentes eminent Tertullianus, Adversus Marcionem l. IV n. 20 n. 25 n. 27 (CSEL 47, 487, 504, 515), et Cyrillus Alexandrinus, In Ioann. l. IV c. 4 (MSG 73, 628).

[2] Ratio praecedit fidem, inquantum testes fidei fide dignos esse cognoscimus; sequitur autem fidem, inquantum ea, quae primo creduntur, intellectu perspicere conamur. De ratione fidem praecedente videas De vera religione, c. 24 n. 45 (MSL 34, 141): Quamobrem ipsa quoque animae medicina, quae divina providentia et ineffabili beneficentia geritur, gradatim distincteque pulcherrima est. Distribuitur enim in auctoritatem atque rationem. Auctoritas fidem flagitat et rationi praeparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quamquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur, cui sit credendum; et certe summa est ipsius iam cognitae atque perspicuae veritatis auctoritas. Cf. c. 25 n. 46 (ibid. 142): Sed nostrum est considerare, quibus vel hominibus vel libris credendum sit. De praedest. sanctorum, c. 2 n. 5 (MSL 44, 962 s.). De utilitate credendi, c. 14 n. 31 (CSEL 25, 1 p. 38). Epist. 147 c. 2 n. 7 (Floril. Patrist. 23, 8). Mutuam inter fidem et scientiam intercedentem rationem Augustinus describit Sermo 43 c. 7 n. 9 (MSL 38, 258): Intellege ut credas; crede ut intellegas. En. in ps. 118 sermo 18 n. 3 (MSL 37, 1552). Similiter rationem inter fidem et scientiam intercedentem definivit Theodoretus Cyr., Graec. affect. curatio sermo 1 De fide (MSG 83, 8, 16):

Δεῖται μέντοι ἡ πίστις τῆς γνώσεως, καθάπερ αὖ ἡ γνῶσις τῆς πίστεως. Οὔτε γὰρ πίστις ἄνευ γνώσεως, οὔτε γνῶσις δίχα πίστεως γένοιτο ἄν. Ἡγεῖται μέντοι τῆς γνώσεως ἡ πίστις, ἕπεται δὲ τῇ πίστει ἡ γνῶσις.

4. Propterea monet apostolus[1] paratos nos esse debere ad responsionem omni poscenti nos rationem de fide et spe nostra, quoniam, si a me infidelis rationem poscit fidei et spei meae et video, quod ante, quam credat, capere non potest, hanc ipsam ei reddo rationem, in qua, si fieri[2] potest, videat, quam praepostere ante fidem poscat rationem earum rerum, quas capere non potest; si autem iam fidelis rationem poscat, ut, quod credit, intellegat, capacitas[3] eius intuenda est, ut secundum eam ratione reddita sumat fidei suae, quantam potest, intellegentiam, maiorem, si plus capit, minorem, si minus, dum tamen, quousque ad plenitudinem cognitionis perfectionemque perveniat, ab itinere fidei non recedat[4]. Hinc est, quod dicit apostolus[5]: *Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus revelabit; verum tamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.* Iam ergo si fideles sumus, ad fidei viam perveniemus, quam si non dimiserimus, non solum ad tantam intellegentiam rerum incorporearum et incommutabilium, quanta in hac vita capi non ab omnibus[6] potest, verum etiam ad summitatem contemplationis[7], quam dicit apostolus[8] *facie ad faciem*, sine dubitatione veniemus. Nam quidam etiam minimum et tamen in via fidei perseveran-

---

1 apostolus Petrus *edd.* 8 eam *om. OT edd. praeter m* rationem redditam *OPT edd. praeter m* 11 tamen *post* et *add. OPT edd.* 12 sapitis] scitis *OPT edd. praeter m* 13 pervenimus *edd.* 17 perveniemus *edd.* 18 minimi *edd.*

---

[1] 1. Petr. 3, 15. Cf. In Ioann. tr. 21 n. 5 (MSL 35, 1506).

[2] De trin., l. I c. 1 n. 3 (MSL 42, 821): Quapropter adiuvante Domino Deo nostro suscipiemus et eam ipsam quam flagitant, quantum possumus, reddere rationem. L. II prooem. (845); l. IX c. 1 (959—961); l. XV c. 1 (1057): Quae utrum sit Trinitas, non solum credentibus divinae scripturae auctoritate, verum etiam intellegentibus aliqua, si possumus, ratione iam demonstrare debemus. Cur autem „si possumus" dixerim, res ipsa cum quaeri disputando coeperit, melius indicabit. L. XV c. 28 (1098).

[3] De trin., l. III prooem. n. 2 (MSL 42, 869).

[4] De trin., l. III prooem. n. 2 (MSL 42, 867—69); l. VIII prooem. n. 1 (947); l. XIV c. 2 n. 4 (1038); c. 3 n. 5 (1030); l. XV c. 2 n. 2 (1058). Epist. 102 n. 38 (CSEL 34, 2 p. 577 s.). Cf. E. Gilson, Introduction, 40—43. Idem, L'idée de philosophie chrétienne chez saint Augustin et chez saint Thomas d'Aquin. Vie intellectuelle 8 (1930) 46—62. [5] Phil. 3, 15 s.

[6] De ordine, l. II c. 9 n. 26 (CSEL 63, 165). De trin., l. XV c. 24 et c. 25 n. 44 (MSL 42, 1091 s.).

[7] Contemplatio est septimus atque ultimus animae gradus: De quantit. animae, c. 33 n. 76 (MSL 32, 1076 s.). Cf. F. Cayré, La contemplation augustinienne, Paris 1927. Idem, La contemplation et raison d'après saint Augustin. In: Revue de philosophie 30 (1930) 331—381. A. Mager, O. S. B., Augustinus als Mystiker. In: Philosophia perennis. Festgabe Joseph Geyser, herausgegeben von F.-I. von Rintelen, Regensburg 1930, I 83—97. C. Boyer, S. J., La contemplation d'Ostie. In: Cahiers de la Nouvelle Journée 17 (1930) 135—161. E. J. Watkin, The mysticism of St. Augustine. In: A monument to saint Augustine. Essays on some aspects of his thought written in commemoration of his 15th centenary, London 1930, 103—119. [8] 1. Cor. 13, 12.

tissime gradientes ad illam beatissimam contemplationem perveniunt, quidam vero, quid sit natura invisibilis, incommutabilis, incorporea, utcumque iam scientes et viam, quae ducit ad tantam beatitudinis mansionem, quoniam stulta[1] illis videtur, quod est Christus crucifixus, tenere recusantes ad quietis ipsius penetrale, cuius iam luce mens eorum velut in longinqua radiante perstringitur, pervenire non possunt.

5. Sunt autem quaedam, quae cum audierimus, non eis accommodamus fidem et ratione nobis reddita vera esse cognoscimus, quae credere non valemus, et universa Dei miracula[2] ideo ab infidelibus non creduntur, quia eorum ratio non videtur. Et re vera sunt, de quibus ratio reddi non potest, non tamen non est. Quid enim est in rerum natura, quod inrationabiliter fecerit Deus? Sed quorundam mirabilium operum eius etiam expedit tantisper occultam esse rationem, ne apud animos fastidio languidos eiusdem rationis cognitione vilescant. Sunt enim et hi multi sunt, qui plus tenentur admiratione rerum quam cognitione causarum, ubi miracula mira esse desistunt, et opus est eos ad invisibilium fidem visibilibus mirabilibus excitari, ut puritate purgati eo perveniant, ubi familiaritate veritatis mirari desinant. Nam et in theatris homines funiambulum mirantur, musicis delectantur; in illo stupetur difficultas, in his retinet pascitque iucunditas.

6. Haec dixerim, ut fidem tuam ad amorem intellegentiae cohortarer, ad quam ratio[3] vera perducit et cui fides animum praeparat. Nam illa, quae persuasit in ea Trinitate[4], quae est Deus, Filium Patri non

---

3 tantae *edd.* 15 hi *om. OPT edd.* 17 miraculis *edd.* puritate] caritate *m* 18 desistant *OPT edd.* 19 funambulum *OPT edd.* 20 stupet *OPT edd.* retinetur *OT* 21 cohorter *edd.*

---

[1] 1. Cor. 1, 23. Verba Augustini spectant ad doctrinam Neoplatonicorum, inprimis Porphyrii, cf. Confess. l. VII c. 9 n. 11 (CSEL 33, 154—156). De civ. Dei, l. X c. 29 (CSEL 40, 1 p. 496 s.). In Ioann. tr. 2 n. 4 (MSL 35, 1390 s.).

[2] De utilitate credendi, c. 16 n. 34 (CSEL 25, 1 p. 43 s.). De civ. Dei, l. X c. 18 (CSEL 40, 1 p. 478).

[3] De vera religione, c. 24 n. 45 (MSL 34, 141). Sermo 43 c. 2 n. 3 — c. 3 n. 4 (MSL 38, 254—256).

[4] Trinitas minime est quicquam Deo superadditum, immo Deus ipse nisi trinus esse non potest. Cf. etiam De moribus eccl. cath. et de moribus Manich., l. I c. 14 (MSL 32, 1321). In Ioann. tr. 40 n. 3 (MSL 35, 1687): Ad ipsum esse pertinet tota Trinitas. Contra Maxim. Arian., l. II c. 26 n. 14 (MSL 42, 814). De trin., l. I c. 6 nn. 10 s. (MSL 42, 826); l. II c. 7 n. 13 (853): Deus unus et solus, id est ipsa Trinitas; l. VII c. 6 n. 12 (946): Deus autem Trinitas; l. XV c. 4 n. 6 (1061): Trinitatem quae Deus est inquiramus. Quibus ex locis etiam apparet Augustinum de ss. Trinitate disserentem ea uti methodo, qua primo et directe unitas essentiae, secundo et indirecte discretio personarum consideratur; quam viam omnes fere scriptores occidentales et nonnulli orientales, ut Epiphanius et Athanasius, ingressi sunt, cum plurimi scriptorum orientalium directe tres personas, unitatem essentiae indirecte respicerent. Cf. M. Schmaus, 10—22,

esse coaeternum[1] vel alterius esse substantiae atque aliqua parte dissimilem et eo modo inferiorem Spiritum Sanctum, itemque illa, quae persuasit Patrem et Filium unius eiusdemque, Spiritum[2] vero Sanctum alterius esse substantiae, non ideo, quia ratio est, sed quia falsa ratio est, cavenda et detestanda dicenda est. Si autem ratio vera esset, non utique errasset. Quapropter sicut non ideo debes omnem vitare sermonem, quia est et sermo falsus, ita non debes omnem vitare rationem, quia est et falsa ratio. Hoc et de sapientia[3] dixerim; neque enim propterea sapientia devitanda est, quia est et falsa sapientia, cui stultitia[4] est Christus crucifixus, qui *est Dei virtus et Dei sapientia*, et ideo *per* hanc *stultitiam praedicationis placuit Deo salvos facere credentes, quoniam, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*. Hoc quibusdam philosophorum et oratorum non veram viam sed veri similem sectantibus et in ea se ipsos aliosque fallentibus persuaderi non potuit, quibusdam vero eorum potuit. Et quibus potuit, neque scandalum[5] est Christus crucifixus neque stultitia; in his enim sunt, quibus *vocatis Iudaeis et Graecis Dei virtus est et Dei sapientia*. In qua via, id est in cuius Christi crucifixi fide, qui eius rectitudinem per Dei gratiam comprehendere potuerunt, et si philosophi appellati sunt sive oratores, profecto humili pietate confessi sunt sibi longe excellentius in ea fuisse praevios piscatores non solum credendi firmissimo robore verum etiam intellegendi certissima veritate. Cum enim didicissent ad hoc electa esse stulta[6] mundi et infirma, ut sapientia confunderentur et fortia, seque cognovissent fallaciter sapere et inbecilliter praevalere, confusi salubriter facti sunt stulti et infirmi, ut[7] per stultum et infirmum Dei, quod sapientius et fortius est hominibus, inter electa stulta et infirma fierent veraciter sapientes et efficaciter fortes.

5 si autem] nam si *OPT edd.* 9 vitanda *OPT edd.* 16 his] iis *edd.* 22 certissimam veritatem *B* 23 stulta esse *OPT edd.* fortia et sap. conf. *P edd.* 24 et fortia *om. OT*

101 s. J. Bilz, Die Trinitätslehre des hl. Johannes von Damaskus, Paderborn 1909, 96—105. Th. de Régnon, Études de théologie positive sur la sainte Trinité, Paris 1892—1898, I, 302—408.

[1] Quam haeresim Arianorum Augustinus saepissime et acerrime impugnat, inprimis his operibus: De trinitate (MSL 42, 819—1098); Contra sermonem Arianorum (MSL 42, 677—708); Collatio cum Maximino Arianorum (MSL 42, 709—742); Contra Maximinum haereticum Arianorum episcopum (MSL 42, 743—814); De haeres. n. 49 (MSL 42, 39).

[2] Videas eadem opera. De haeres nn. 49 et 52 (MSL 42, 39).

[3] Sapientiam a scientia diligenter distingendam esse Augustinus docet. Cum ad scientiam cognitio rationalis rerum temporalium pertineat, sapientia est cognitio intellectualis rerum aeternarum et inmutabilium. De trin., l. XII c. 14s. (MSL 42, 1009—1012). Cf. M. Schmaus, 285—291. E. Gilson, Introduction, 139—154. J. Maritain, De la sagesse augustinienne. In: Revue de philosophie 30 (1930) 715—741. [4] 1. Cor. 1, 18. 24. 21. 25.

[5] 1. Cor. 1, 23s. [6] 1. Cor. 1, 27. [7] 1. Cor. 1, 25.

II. 7. Cui autem nisi verissimae rationi fidelis pietas erubescit, ut quandam idolatriam, quam in corde nostro ex consuetudine[1] visibilium constituere conatur humanae cogitationis infirmitas, non dubitemus evertere nec audeamus credere ita esse Trinitatem[2], quam invisibilem et incorpoream atque incommutabilem colimus, quasi tres quasdam viventes moles licet maximas et pulcherrimas suorum tamen locorum spatiis propriis terminatas et sibimet in suis locis contigua propinquitate cohaerentes, sive una earum sic in medio constituta, ut duas dirimat sibi ex lateribus singulis iunctas, sive in modum trigoni duas ceteras unaquaeque contingat, ut nulla ab aliqua separetur; earumque trium tantarum ac talium personarum licet in grandi valde molibus tamen a summo et imo et circumquaque terminatarum unam esse divinitatem aliquid quartum nec talem, qualis est aliqua ex illis, sed communem omnibus tamquam numen omnium et in omnibus et in singulis totum, per quam unam divinitatem[3] dicatur eadem Trinitas unus Deus; eiusque tres personas nusquam[4] esse nisi in caelis, illam vero divinitatem nusquam non esse sed ubique praesentem; ac per hoc recte quidem dici Deum et in caelo esse et in terra propter illam divinitatem, quae ubique sit tribusque communis sit, non autem recte dici Patrem[5] esse in terra vel Filium vel Spiritum Sanctum, cum huic Trinitati sedes non nisi in caelo sit? Istam cogitationis carnalis compositionem vanumque figmentum ubi vera ratio labefactare incipit, continuo intus illo adiuvante atque inluminante, qui cum talibus idolis in corde nostro habitare non vult, ita ista confringere atque a fide nostra quodam modo excutere festinamus, ut ne pulverem quidem ullum talium phantasmatum illic remanere patiamur.

8. Quam ob rem nisi rationem disputationis, qua forinsecus admoniti ipsi intrinsecus veritate lucente[6] haec falsa esse perspicimus, fides in

---

2 idololatriam *edd.* 6 locorum *om. OPT edd.* 8 sic] sit *edd.* 13 aliqua] una *OPT edd. praeter m* 14 numen] unum *edd. praeter m* 19 sit$_1$] est *OT edd. praeter m* 20 sedes] fides *OPT edd. praeter m* 22 illo intus *edd.* 23 cordibus nostris *edd. praeter m* 28 ipsi] ipsa *edd.*

---

[1] De trin., l. I c. 1 n. 1 (MSL 42, 819 s.); l. VIII c. 1 (947); l. X c. 5 n. 7 (977) c. 6 n. 8 (978); c. 8 n. 11 (979).

[2] Cf. De trin., l. VII c. 6 n. 11 (MSL 42, 944 s.). Epist. 238 c. 2 n. 11 (CSEL 57, 540 s.).

[3] Cf. Contra sermonem Arian. c. 36 (MSL 42, 707).

[4] Cf. Epist. 140 c. 3 n. 6 (CSEL 44, 158 s.). Contra Maxim. Arian. l. II c. 26 n. 3 (MSL 42, 805).

[5] Cf. Epist. 187 n. 15 (CSEL 57, 93). Quid Augustinus de theophaniis Veteris Testamenti docuerit, explicat Schmaus, l. c., 160—163.

[6] Augustini theoriam inluminationis optime exposuit cl. B. Jansen, Zur Lehre des hl. Augustinus von dem Erkennen der Rationes aeternae, in: Aurelius Augustinus. Festschrift der Görresgesellschaft, Köln 1930, 111—136. Cf. B. Jansen, Quomodo divi Augustini theoria illuminationis saeculo decimo tertio

nostro corde antecessisset, quae nos indueret pietate, nonne incassum, quae vera sunt, audiremus? Ac per hoc, quoniam id, quod ad eam pertinebat, fides egit, ideo subsequens ratio aliquid eorum, quae inquirebat[1], invenit. Falsae itaque rationi non solum ratio vera, qua id, quod credimus, intellegimus, verum etiam fides ipsa rerum nondum intellectarum sine dubio praeferenda[2] est. Melius est enim quamvis nondum visum credere, quod verum est, quam putare te verum videre, quod falsum est. Habet namque fides oculos suos[3], quibus quodam modo videt verum esse, quod nondum videt, et quibus certissime videt nondum se videre, quod credit. Porro autem qui vera ratione iam, quod tantum modo credebat, intellegit, profecto praeponendus[4] est ei, qui cupit adhuc intellegere, quod credit; si autem nec cupit et ea,

1 corde nostro *edd.*

concepta sit, in: Gregorianum XI (1930) 146—158. E. Gilson, Introduction, Index: illumination. M. Grabmann, Der göttliche Grund menschlicher Wahrheitserkenntnis nach Augustinus und Thomas von Aquin. Veröffentlichungen des Katholischen Instituts für Philosophie Albertus-Magnus-Akademie zu Köln. Band I, Heft 4, Münster 1924. Idem, Des hl. Augustinus Quaestio de ideis (De diversis quaestionibus LXXXIII q. 46) in ihrer inhaltlichen und geschichtlichen Bedeutung. In: Philosophisches Jahrbuch 43 (1930) 297—307. M. Casotti, Il ,,De magistro" di San Agostino e il metodo intuitivo. S. Agostino, Pubblicazione commemorativa del XV centenario della sua morte. Pubblicati a cura della facoltà di filosofia dell' Università cattolica del Sacro Cuore, Milano 1931, 57—74. J. Maritain, Augustine and S. Thomas Aquinas. A monument to saint Augustine. Essays in some aspects of his thought written in commemoration of his 15th centenary, London 1930, 197—233. R. Jolivet, La doctrine augustinienne de l'illumination. In: Revue de philosophie 30 (1930) 382—502. J. Rimaud, Le maître intérieur. In: Cahiers de la Nouvelle Journée 17 (1930) 53—69. Cf. p. 23 n. 2.

[1] De libero arbitrio, l. II c. 2 n. 6 (MSL 32, 1243). De trin., l. IX c. 1 (MSL 42, 961).

[2] De utilitate credendi, c. 11 n. 25 (CSEL 25, 1 p. 31—33).

[3] De vera religione, c. 8 n. 14 (MSL 34, 129). De trin., l. XV c. 28 n. 51 (MSL 42, 1098). Epist. 147 c. 3 n. 8 (Floril. Patr. 23, 8 s.): Constat igitur nostra scientia ex visis rebus et creditis. Sed in his, quae vidimus vel videmus, nos ipsi testes sumus, in his autem, quae credimus, aliis testibus movemur ad fidem, cum earum rerum, quas nec vidisse nos recolimus nec videmus, dantur signa vel in vocibus vel in litteris vel quibuscumque documentis, quibus visis non visa credantur. Non autem inmerito scire nos dicimus non solum ea, quae vidimus aut videmus, verum et illa, quae idoneis ad quamque rem commoti testimoniis vel testibus credimus. Porro si scire non incongruenter dicimur etiam illud, quod certissimum credimus, hinc factum est, ut etiam recte credita, etsi non adsint sensibus nostris, videre mente dicamur. Scientia quippe menti tribuitur, sive per corporis sensus sive per ipsum animum aliquid perceptum cognitumque retineat, et fides ipsa mente utique videtur, quamvis hoc fide credatur, quod non videtur.

[4] De utilitate credendi, c. 11 n. 25 (CSEL 25, 1 p. 31). In Ioann. tr. 29 n. 6 (MSL 35, 1630): Intellectus enim est merces fidei.

quae intellegenda sunt, credenda tantum modo existimat, cui rei fides prosit, ignorat; nam pia fides sine spe[1] et sine caritate esse non vult. Sic igitur homo fidelis debet credere, quod nondum videt, ut visionem et speret et amet.

9. Et visibilium[2] quidem rerum praeteritarum, quae temporaliter transierunt, sola fides est, quoniam non adhuc videnda sperantur, sed facta et transacta creduntur, sicut est illud, quod *Christus*[3] *semel pro peccatis nostris mortuus est et resurrexit nec iam morietur et mors ei ultra non dominabitur.* Ea vero, quae nondum sunt, sed futura sunt sicut nostrorum spiritalium corporum resurrectio, ita creduntur, ut etiam videnda sperentur; sed ostendi modo nullo possunt modo. Quae vero ita sunt, ut neque praetereant neque futura sint, sed aeterna permaneant, partim sunt invisibilia sicut iustitia, sicut sapientia, partim visibilia sicut Christi inmortale iam corpus. Sed *invisibilia*[4] *intellecta conspiciuntur* ac per hoc et ipsa modo quodam sibi congruo videntur et, cum videntur, multo certiora sunt quam ea, quae corporis sensus adtingit; sed ideo dicuntur invisibilia, quia oculis istis mortalibus videri omnino non possunt. At illa, quae visibilia sunt permanentia, possunt, si ostendantur, etiam his mortalibus oculis conspici, sicut se[5] discipulis post resurrectionem Dominus ostendit, sicut etiam post ascensionem apostolo[6] Paulo et diacono Stephano.

10. Proinde ista visibilia permanentia ita credimus, ut, etiam si non demonstrentur, speremus ea nos quandoque visuros nec ea conemur ratione intellectuque comprehendere, nisi ut ea, quia visibilia sunt, ab invisibilibus distinctius cogitemus, et cum cogitatione, qualia sint, imaginamur, satis utique novimus ea nobis nota non esse. Nam et

---

21 Stephano diacono *edd.* 24 ratione vel intellectu *OPT m*

---

[1] De libero arbitrio, l. II c. 2 n. 6 (MSL 32, 1243). In Ioann. tr. 29 n. 7 (MSL 35, 1630 s.).

[2] Epist. 147 c. 2 n. 7 (Florileg. Patrist. 23, 8): Quid ergo dicimus? Num satis est, ut inter videre et credere hoc distare dicamus, quia praesentia videntur, creduntur absentia? Plane forsitan satis est, si praesentia illa hoc loco intellegamus dicta, quae praesto sunt sensibus sive animi sive corporis, unde etiam ducto vocabulo praesentia nominantur. Sic enim hanc lucem corporis sensu, sic et meam voluntatem plane video, quia praesto est animi sensibus atque intus mihi praesens est. Si quis vero mihi indicet voluntatem suam, cuius os et vox mihi praesens est, tamen, quia ipsa voluntas, quam mihi indicat, latet sensum corporis et animi mei, credo, non video aut, si eum mentiri existimo, non credo, etsi forte, ut dicit, ita sit. Creduntur ergo illa, quae absunt a sensibus nostris, si videtur idoneum, quod eis testimonium perhibetur. Videntur autem, quae praesto sunt, unde et praesentia nominantur, vel animi vel corporis sensibus.

[3] 1. Petr. 3, 18; Rom. 6, 9 s. [4] Rom. 1, 20.

[5] Matth. 28, 9 s. Marc. 16, 5—7. 12—14; Luc. 24, 4—7. 15; Joh. 20, 14. 19. 26; 21, 1. [6] Act. 9, 3—5; 7, 55.

Antiochiam[1] cogito incognitam sed non sicut Carthaginem cognitam; illam quippe visionem cogitatio mea fingit, hanc recolit; nequaquam tamen dubito, sive quod de illa testibus multis sive quod de ista meis aspectibus credidi. Iustitiam vero et sapientiam et quicquid eius modi est non aliter imaginamur, aliter contuemur, sed haec invisibilia simplici mentis atque rationis intentione intellecta conspicimus sine ullis formis et molibus corporabilibus, sine ullis liniamentis figurisque membrorum, sine ullis localibus sive finibus sive spatiis infinitis. Ipsumque lumen, quo cuncta ista discernimus, in quo nobis satis apparet, quid credamus incognitum, quid cognitum teneamus, quam formam corporis recordemur, quam cogitatione fingamus, quid corporis sensus adtingat, quid imaginetur animus simile corpori, quid certum et omnium corporum dissimillimum intellegentia contempletur, hoc ergo lumen, ubi haec cuncta diiudicantur, non utique sicut huius solis et cuiusque corporei luminis fulgor per localia spatia circumquaque diffunditur mentemque nostram quasi visibili candore conlustrat, sed invisibiliter et ineffabiliter et tamen intellegibiliter lucet tamque nobis certum est, quam nobis effecit certa, quae secundum ipsum cuncta conspicimus.

11. Cum igitur tria sint rerum genera, quae videntur, unum corporalium, sicut sunt caelum et terra et quicquid in eis corporeus sensus cernit et tangit, alterum simile corporalibus, sicut sunt ea, quae spiritu cogitata imaginamur sive recordata vel oblata quasi corpora contuemur, unde sunt etiam visiones, quae vel in somnis vel in aliquo mentis excessu his quasi localibus quantitatibus ingeruntur, tertium ab utroque discretum, quod neque sit corpus neque habeat ullam similitudinem corporis, sicuti est sapientia, quae mente intellecta conspicitur et in cuius luce de his omnibus veraciter iudicatur, in quo istorum genere credendum est esse istam, quam nosse volumus, Trinitatem? Profecto aut in aliquo aut in nullo. Si in aliquo, eo utique, quod est aliis duobus praestantius, sicut est sapientia. Quod si donum eius in nobis est et minus est quam illa summa et incommutabilis, quae Dei sapientia dicitur — puto, quod non debemus dono suo inferius cogitare donantem —, si autem aliquis splendor[2] eius in nobis est, quae nostra sapientia dicitur, quantumcumque eius *per speculum*[3] *et in aenigmate* capere

2 illam *om. BPT* 8 sive] sine *O; om. edd. praeter m* sive] sine *O edd. praeter m* 16 illustrat *B secunda manus edd. praeter a* 21 haec terra *edd. praeter a e.* 23 oblita *OPT m* 26 ullam habeat *edd. praeter a e* 27 sicut *edd.* sicuti est *om. T* 31 et *om. codd.*

[1] De genesi ad litt., l. XII cc. 6—8 (CSEL 28, 1 p. 386—391).
[2] Cf. De genesi liber imperfectus, c. 16 (CSEL 28, 1 p. 498).
[3] 1. Cor. 13, 12.

possumus, oportet eam et ab omnibus corporibus et ab omnibus corporum similitudinibus secernamus[1].

12. Si autem in nullo istorum genere esse putanda est ista Trinitas et sic est invisibilis, ut nec mente[2] videatur, multo minus de illa huius modi opinionem habere debemus, ut eam rebus corporalibus vel corporalium rerum imaginibus similem esse credamus. Non enim corpora pulchritudine molis aut magnitudine superat sed dissimilitudine ac disparilitate naturae et, si discreta est a comparatione bonorum animi nostri[3], qualia sunt sapientia, iustitia, caritas, castitas et cetera talia, quae profecto non mole corporis pendimus nec eorum quasi corporeas formas cogitatione figuramus, sed ea, quando recte intellegimus, sine aliqua corpulentia vel similitudine corpulentiae in luce mentis aspicimus, quanto est ab omnium qualitatum et quantitatum corporalium comparatione discretior! Non eam tamen a nostro intellectu omnino ab-

3 esse *om. OPT l s r m* 10 mole corporis non *edd. praeter a e*

[1] Confess. l. III c. 7 n. 12 (CSEL 33, 53 s.); l. IV c. 16 n. 31 (87 s.); l. VII c. 1; c. 20 (140—142; 165 s.). De trin., l. XV c. 5 n. 7 (MSL 42, 1062 s.). De civitate Dei, l. VIII c. 5 (CSEL 40, 1 p. 361—63); l. XXII c. 29 n. 5 (40, 2 p. 662). In Ioann. tr. 23 n. 9 (MSL 35, 1587 s.).

[2] Mens nec divinam essentiam intueri nec sua ipsius virtute Deum trinum esse cognoscere potest. Ab ontologismo Augustinus longe recedit. Epistula 147 (Floril. Patrist. 23). De trin., l. V c. 1 n. 1 (MSL 42, 911). In Ioann. tr. 77 n. 2 (MSL 35, 1833); tr. 97 n. 1 (1877 s.). Libros quid Augustinus de cognitione Dei intuitiva senserit explicantes allegat E. Gilson, Introduction, 315—318. Cf. I. Hessen, Die unmittelbare Gotteserkenntnis nach dem hl. Augustinus, Paderborn 1919. Idem, Der augustinische Gottesbeweis, Münster 1920. Idem, Zur Methode der Augustinusforschung. In: Miscellanea Augustiniana, Amsterdam 1930, 374—388. Idem, Augustins Metaphysik der Erkenntnis, Berlin 1931. J. Geyser, Augustin und die phänomenologische Religionsphilosophie der Gegenwart mit besonderer Berücksichtigung Max Schelers, Münster 1923. I. Sestili, Argumentum augustinianum de existentia Dei. In: Acta hebdomadae augustinianae-thomisticae ab Academia Romana Sancti Thomae Aquinatis indictae, Romae 1930, 241—270. M. Grabmann, Die Grundgedanken des hl. Augustinus über Seele und Gott, Köln 1929². J. Maréchal, La vision de Dieu au sommet de la contemplation d'après saint Augustin. In: Nouvelle Revue théologique 57 (1930) 89—109, 191—214. C. Boyer, S. J., La preuve de Dieu augustinienne. In: Archive de Philosophie 7 (1930) 357—393. V. Capanaga, En torno a la filosofia agustiniana. In: Religion y Cultura 11 (1930) 161—180. Idem, Notas del ideario agustiniano. Ensayo de una prueba de la existencia de Dios 12 (1930) 95—100. G. Wunderle, Einführung in Augustins Konfessionen (Aus Gottes Reich), Augsburg 1930. Idem, Augustins Gottesbegriff oder Über die Hauptmotive zur Bildung von Augustins Gottesbegriff nach der Darstellung der Konfessionen. Archiv für Religionspsychologie und Seelenforschung 5, 1930. Cf. p. 19 n. 6. De trinitate cognoscenda cf. M. Schmaus, 176—190.

[3] De genesi liber imperfectus, c. 16 (CSEL 28, 1 p. 498—500). De trin., l. V c. 1 n. 2 (MSL 42, 911 s.); l. VIII c. 3 n. 4 (949 s.).

horrere apostolus[1] testis est, ubi ait: *Invisibilia enim eius a constitutione mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus ac divinitas.* Ac per hoc, cum eadem Trinitas[2] fecerit et corpus et animam, sine dubitatione est utroque praestantior[3]. Anima itaque considerata, maxime humana et rationalis atque intellectualis, quae ad eius imaginem[4] facta est, si cogitationes nostras et intellegentias non evicerit, sed eius, quod habet praecipuum[5], id est ipsam mentem atque intellegentiam mente atque intellegentia potuerimus adprehendere, non erit fortassis absurdum, ut eam ad suum quoque creatorem intellegendum[6] ipso adiuvante meditemur adtollere. Si autem in se ipsa deficit sibique succumbit, pia fide contenta sit, quam diu peregrinatur[7] a Domino, donec fiat in homine, quod promissum est, faciente illo, *qui potens est*[8], sicut ait apostolus, *facere supra, quam petimus et intellegimus.*

III. 13. Quae cum ita sint, interim volo, ut legas ea, quae ad istam quaestionem pertinentia iam multa conscripsimus[9], illa etiam, quae in manibus habemus[10] et propter magnitudinem tam difficilis quaestionis nondum possumus explicare. Nunc vero tene inconcussa fide Patrem[11] et Filium et Spiritum Sanctum esse Trinitatem et tamen unum Deum, non quod sit eorum communis quasi quarta divinitas, sed quod sit

---

1 eius *om. edd. praeter a* 14 et] aut *P edd.*

---

[1] Rom. 1, 20.

[2] De unica trium personarum actione creatrice cf. Schmaus, 156 s.

[3] De quantitate animae, c. 24 n. 77 (MSL 32, 1077 s.). De libero arbitrio, l. II c. 6 (MSL 32, 1248).

[4] De genesi contra Manich., l. I c. 17 n. 28 (MSL 34, 186 s.). De diversis quaest. 83 q. 51 n. 2 (MSL 40, 32 s.). De genesi liber imperf., c. 16 (CSEL 28, 1 p. 500—502). De trin., l. XI c. 5 n. 8 (MSL 42, 990 s.). De genesi ad litt., l. III c. 90 (CSEL 28, 1 p. 87). In Ioann. tr. 1 n. 18 (MSL 35, 1388); tr. 3 n. 4 (1398). De civ. Dei, l. XII c. 24 (CSEL 40, 1 p. 608); l. XIII c. 24 n. 2 (655). Sermo 43 c. 2 n. 3 (MSL 38, 255); sermo 55 c. 3 n. 3 (375 s.). In ps. 42 n. 6 (MSL 36, 480).

[5] Cf. p. 12 n. 3.

[6] Cf. Schmaus, passim, inprimis 185—187, 399—416.

[7] 2. Cor. 5, 6. [8] Eph. 3, 20.

[9] De ss. Trinitate Augustinus tractaverat in his fere operibus: De ordine (anno 386). Epistula 11 (a. 388). De moribus eccl. cath. et de moribus Manich. (anno 388). De vera religione (annis 389—91). De diversis quaestionibus 83 (annis 389—396). De fide et symbolo (a. 397). De genesi ad litteram liber imperfectus (a. 393—94). De doctrina christiana (ca. a. 397). Epistula 55 (a. 400). Confessionum l. XIII (a. 400). De genesi ad litteram l. XII (a. 401—415).

[10] Sunt libri quindecim de trinitate, quos a. 398—417 composuit. Cf. Schmaus, 4.

[11] De trin., l. I c. 4; c. 9 n. 19 (MSL 42, 824, 834); l. IV c. 21 n. 30 (909); l. VI c. 7. n. 9 (929); l. VII c. 6 n. 12 (945 s.); l. VIII prooem. (947). Epist. 170 n. 9 (CSEL 44, 629). De genesi ad litt. l. imperf., c. 16 (CSEL 28, 1 p. 502). De civ. Dei, l. XI c. 24 (CSEL 40, 1 p. 547 s.). In Ioann. tr. 36 n. 9 (MSL 35, 1668); tr. 77 n. 2 (1833).

ipsa ineffabiliter inseparabilis trinitas, Patremque solum[1] genuisse Filium Filiumque solum a Patre genitum, Spiritum[2] vero Sanctum et Patris esse et Filii Spiritum. Et quicquid tibi, cum ista cogitas, corporeae[3] similitudinis occurrerit, abnue, nega, respue, abice, fuge; non enim parva inchoatio[4] est cogitationis Dei, si ante, quam possimus nosse, quid sit, incipiamus iam nosse, quid non sit. Intellectum vero valde ama, quia et ipsae scripturae[5] sanctae, quae magnarum rerum ante intellegentiam suadent fidem, nisi eas recte intellegas, utiles[6] tibi esse non possunt. Omnes enim haeretici[7], qui eas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores, ac per hoc, non quod eas contemnant, sed quod eas non intellegant, haeretici sunt.

14. Tu autem, carissime, ora[8] fortiter et fideliter, ut det tibi Dominus intellectum ac sic ea, quae forinsecus adhibet diligentia praeceptoris sive doctoris, possint esse fructuosa, quoniam, *neque*[9] *qui plantat, est*

---

1 ineffabiliter] ineffabilis et *OPT edd. praeter m* 3 et filii esse *OPT edd.* 4 abige *ante* abnue *add. edd.* 5 est inch. *edd.* cogitationis] cognitionis *OPT edd.*

---

[1] De fide et symbolo, c. 9 nn. 16 et 18 (MSL 40, 189—191). De trin., l. I c. 4 (MSL 42, 824). In Ioann. tr. 99 n. 4 (MSL 35, 1887).

[2] De trin., l. IV c. 20 n. 29 (MSL 42, 908). In Ioann. tr. 99 n. 6 (MSL 35, 1888 s.).

[3] Confess. l. VII cc. 1—2 (CSEL 33, 140—142). De genesi contra manich., l. I c. 17 n. 26 s. (MSL 32, 186 s.). Contra epist. Manichaei quam vocant fundamenti, c. 15 (MSL 42, 184). Epist. 170 n. 5; n. 8 (CSEL 44, 625 s. 628 s.). In Ioann. tr. 20 n. 8 (MSL 35, 1560). Contra Max. Ar. ep., l. II c. 14 n. 2 (MSL 42, 771).

[4] De ordine, l. II c. 16 n. 44 (CSEL 63, 177 s.). Epistula 130 c. 15 n. 28 (CSEL 44, 72): Est ergo in nobis quaedam, ut ita dicam, docta ignorantia, sed docta spiritu Dei, qui adiuvat infirmitatem nostram. De trinitate, l. VIII c. 2 (MSL 42, 948): Non enim parvae notitiae pars est, cum de profundo isto in illam summitatem respiramus, si, antequam scire possimus, quid sit Deus, possumus iam scire, quid non sit. Cf. Plotinus, Enn. V, 5, 13. De ratione et historia doctae ignorantiae cf. Joh. Übinger, Der Begriff der docta ignorantia in seiner geschichtlichen Entwicklung, in: Archiv für Philosophie, I. Abteilung, Band VIII. N. F. I. Band, 1—32, 206—240. E. Vansteenberghe, Autour de la docte ignorance. Une controverse sur la théologie mystique au XVe siècle (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters XIV 2—4), Münster 1915.

[5] Is. 7, 9 sec. Septuag.

[6] De doctrina christiana, l. I c. 36 s. (Floril. Patrist. 24, 18 s.). De vera religione, cc. 50—52 (MSL 34, 165—167).

[7] De trin., l. I c. 3 n. 6 (MSL 42, 923); l. II prooem. (845); In Ioann. tr. 18 n. 1 (MSL 35, 1536). Contra Maximum Arian., l. II c. 14 n. 3 (MSL 42, 772). Arianos, cum et ipsi sacram scripturam vera continere concederent, Augustinus impugnavit iterum atque iterum ad sacram scripturam provocans: M. Schmaus, 112—127.

[8] Ps. 15, 7; 31, 8; 118, 34; 2. Tim. 2, 7. Deum ut intellectum fidei det, esse orandum Augustinus saepius docet: De trin., l. I. c. 5 n. 8 (MSL 42, 825); l. VIII prooem. n. 1 (947); l. IX c. 1 (961). Coll. cum Maxim. Arian. (MSL 42, 742). Totum caput ultimum operis De trinitate (l. XV c. 28, MSL 42, 1097 s.) est oratio.

[9] 1. Cor. 3, 7.

aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, cui dicimus: *Pater*[1] *noster, qui es in caelis,* non quia ibi est et hic non est, qui praesentia incorporea ubique totus est, sed quod in eis habitare dicitur, quorum pietati adest, et hi maxime *in caelis*[2] sunt, ubi et *nostra est conversatio,* si nos veraciter os nostrum sursum cor habere respondeat. Nam etsi carnaliter acciperemus, quod scriptum est: *Caelum*[3] *mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum,* et ibi et hic eum esse credere debemus, quamvis non totum ibi, quia hic essent pedes, nec totum hic, quia ibi essent superiores corporis partes. Quam cogitationem carnalem rursum nobis illud excuteret, quod de illo scriptum est, quia *caelum*[4] *mensus est palmo et terram pugillo.* Quis enim sedeat in spatio palmi sui aut in tanto loco pedes ponat, quantum eius pugnus adprehendit? nisi forte in tantum caro vana progreditur, ut ei parum sit humana membra substantiae Dei tribuere, si ea non etiam monstruosa confingat, ubi palmus lumbis et pugillus plantis ambabus coniunctisque sit latior. Sed haec dicuntur, ut, cum sibi non conveniunt, quae carnaliter audimus, eis ipsis admoniti ineffabiliter spiritalia cogitemus.

15. Unde etiam si corpus Domini, quod de sepulchro excitatum levavit in caelum, non nisi in specie humana membrisque cogitamus, non tamen ita putandum est sedere ad dexteram[5] Patris, ut ei Pater ad sinistram sedere videatur. In illa quippe beatitudine, quae omnem superat humanum intellectum, sola dextera est et eadem dextera eiusdem beatitudinis nomen est. Proinde nec illud, quod post resurrectionem suam dixit Mariae: *Noli*[6] *me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem,* tam absurde accipiendum est, ut aestimemus eum, cum ascendisset, voluisse a feminis tangi, qui se tangendum viris ante, quam ascenderet, praebuit. Sed Mariae profecto, in qua figura[7] ecclesia est, quando illud dixit, intellegi voluit tunc ascendisse ad Patrem, cum illum Patri cognovit aequalem et tali fide illum salubriter tetigit, ne, si hoc solum eum esse crederet, quod in carne apparuerat, non bene tangeret. Sic eum Photinus[8] haereticus tetigit, qui hominem tantum modo Christum credidit.

---

3 est totus *OPT edd.* quod] quia *OPT edd.* 4 et$_2$] etiam *OPT edd.* conversatio est *OPT edd.* 5 os nostrum veraciter *edd.* 6 acceperimus *OPT edd.* 10 illud nobis *OP edd.* excutere *OPT edd.* potest *post* est *add. OT edd.* quia] qui *P edd.* 15 plantis] palmis *OPT* amb. palmis *edd.* coniunctisque] coniunctis *edd.* 19 in$_2$ *om. OPT edd.* 25 meum *post* patrem *add. P edd.* (*sec. Vulg.*) aestimemus] existimemus *edd.* 27 figurata *OPT edd.* 32 Christum *om. OPT edd.*

---

[1] Matth. 6, 9. [2] Phil. 3, 20. [3] Is. 66, 1.
[4] Is. 40, 12. [5] Marc. 16, 19.
[6] Joh. 20, 17. In Ioann. tr. 121 n. 3 (MSL 35, 1957).
[7] In Ioann. tr. 121 n. 3 (1957).
[8] De haeres., n. 45 (MSL 42, 34).

16. Et si forte in his verbis Domini aliud aptius meliusque intellegi potest, opinio tamen, qua putatur substantia esse Patris[1] in caelo, secundum quod Pater una in Trinitate persona est, divinitas vero non in caelo tantum sed ubique est, quasi aliud sit Pater aliud divinitas eius, quae illi communis est cum Filio et Spiritu Sancto, ut ipsa Trinitas tamquam locis corporalibus et tamquam corporea sit, divinitas vero una trium personarum ubique sit praesens et ipsa sola tamquam incorporea ubique sit tota, sine dubitatione respuenda est. Si enim qualitas[2] eorum esset — quod absit, ut in Patre aut Filio aut Spiritu Sancto aliud sit qualitas aliud substantia —, tamen si eorum qualitas esse posset, utique amplius alicui quam in sua substantia esse non posset; si autem substantia est et alia est, quam sunt ipsi, alia substantia est, quod nihilo minus falsissime creditur.

17. Sed si forte minus intellegis, inter qualitatem atque substantiam quid intersit, hoc certe facilius advertis, quod et divinitas Trinitatis — quae putatur alia esse, quam est ipsa Trinitas, et propter hanc dici non tres deos[3] sed unum Deum, quoniam ipsa est tribus una communis — aut substantia est aut non est substantia. Si substantia est et alia est quam Pater aut Filius aut Spiritus Sanctus aut eadem simul Trinitas, procul dubio alia substantia est; hoc autem veritas refellit et respuit. Si autem non est substantia ista divinitas et ipsa est Deus, quia ipsa est ubique tota, non illa Trinitas, ergo Deus non est substantia; quis hoc catholicus dixerit? Item si non est substantia ista divinitas et secundum hanc est Trinitas unus Deus, quod haec una est in tribus,

1 aliud *om. OPT edd. praeter m, ubi ponitur post* forte 2 patris esse *edd.* 8 est *om. OPT edd.* 11 in *om. OT edd. praeter m* substantia$_1$ *om. OPT edd. praeter m* 14 atque] et *OPT* subst. et qualit. *edd.*

[1] Cf. Epist. 187 n. 15 (CSEL 57, 93).

[2] In Deo qualitates non esse Augustinus eleganter exponit De trin., l. V c. 1 n. 2 (MSL 42, 912): Ut sic intellegamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ praesidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem. L. V c. 10 (918); l. VI. c. 4 (927); l. XV c. 5 nn. 7 et 8 (1061 s.). De civ. Dei, l. XI c. 10 (CSEL 40, 1 p. 525 s.). In Ioann. tr. 48 n. 6 (MSL 35, 1743).

[3] De trin., l. I c. 4 (MSL 42, 824): Quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem ideoque non sint tres dii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit et ideo Filius non sit qui Pater est, Filiusque a Patre sit genitus et ideo Pater non sit qui Filius est, Spiritusque Sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coaequalis et ad Trinitatis pertinens unitatem. L. V c. 8 (916 s.); l. VI cc. 2 et 4 (924—927); l. VIII prooem. (947). In ps. 130 n. 11 (MSL 37, 1712). Sermo 71 c. 12 n. 18 (MSL 38, 453 s.). Epist. 241 c. 1 (CSEL 57, 560 s.). In Ioann. tr. 18 n. 4 (MSL 35, 1537 s.). Contra Max. Ar., l. II c. 23 n. 1 s. (MSL 42, 796 s.).

non debuit dici Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius substantiae sed unius divinitatis, quae non est substantia. Agnoscis autem in fide catholica, quoniam hoc est verum, hoc esse firmatum, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus ideo, cum sit Trinitas, unus est Deus, quod inseparabiliter[1] sint unius[2] eiusdemque substantiae vel, si hoc melius dicitur, essentiae. Nam nonnulli nostri et maxime Graeci Trinitatem, quae Deus est, magis essentiam quam unam substantiam esse dixerunt aliquid inter haec duo nomina esse arbitrantes vel intellegentes, unde nunc disputare non opus est, quod, etsi divinitatem istam, quae aliud existimatur esse quam ipsa Trinitas, non substantiam sed essentiam dixerimus, eadem falsitas consequetur. Si enim alia est quam ipsa Trinitas, altera erit essentia, quod absit, ut catholicus sentiat. Restat itaque, ut ita credamus unius esse substantiae Trinitatem, ut ipsa essentia non aliud sit quam ipsa Trinitas. Ad quam videndam quantum libet in hac vita proficiamus, *per speculum*[3] erit *et in aenigmate*, quod videbimus. Cum vero, quod in resurrectione[4] promittitur, spiritale corpus habere coeperimus, sive illam mente sive mirabili modo, quoniam ineffabilis est spiritalis corporis gratia, etiam corpore[5]

4 quod] quia *OPT edd.* 5 sint] sunt *edd.* 7 esse] interesse *edd.* 9 est opus *edd.* 10 aestimatur *OPT.*

[1] Cf. p. 25, 1.

[2] De trin., l. III c. 11 n. 21 (MSL 42, 881); l. V c. 2 (912); cc. 8 et 9 (916—918); l. VII c. 4 nn. 7 et 8 (939—941); c. 5 n. 10 (942 s.); c. 6 n. 11 (943—944). De civ. Dei l. XII c. 2 (CSEL 40, 1 p. 568 s.). Cf. p. 18, 1—4.

[3] 1. Cor. 13, 12. Hunc locum s. scripturae fusius interpretatur Augustinus De trin., l. XV cc. 8 et 9 (MSL 42, 1067—1069). In hac vita Deum semper esse quaerendum, non tamen videri posse perpulchre ostendit Augustinus De trin., l. XV, c. 2 n. 2 (MSL 42, 1057 s.): Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse, qui quam sit incomprehensibile, quod quaerebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quaerit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quaerit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur et melior meliorque quaerens tam magnum bonum quod et inveniendum quaeritur et quaerendum invenitur? Nam et quaeritur, ut inveniatur dulcius, et invenitur, ut quaeratur avidius.

[4] 1. Cor. 15, 44—54. Phil. 3, 21. Matth. 13, 43; Matth. 22, 30.

[5] In quaestione, utrum corporis transfigurati oculis Deus videri possit, solvenda multum versatur Augustinus. Epistula 147 (Floril. Patr. 23) ne spiritalis quidem corporis oculis post resurrectionem nos Deum visuros esse putat (p. 31—34). Hanc vero quaestionem difficillimam in alio opere diligentius se tractaturum esse promittit. Quod fecit De civ. Dei, l. XXII c. 29 (CSEL 40, 2 p. 660—664), ubi difficultates hic orientes satis se explicavisse arbitratur (Retract. II, 41). P. 663: Quam ob rem fieri potest valdeque credibile est sic nos esse visuros mundana corpora tunc caeli novi et terrae novae, ut Deum ubique praesentem et universa etiam corporalia gubernantem per corpora quae gestabimus et quae conspiciemus quaqua versum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus, non sicut nunc invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur per speculum in aenigmate et ex parte, ubi plus in nobis

videamus, non tamen per locorum intervalla nec in parte minorem in parte maiorem, quoniam non est corpus et ubique tota est, pro nostra capacitate videbimus.

IV. 18. Quod vero posuisti in epistula[1] tua videri tibi vel potius, quod videbatur tibi nihil vivum secundum substantiam inesse iustitiae ideoque te non posse adhuc Deum, id est viventem naturam iustitiae similem cogitare, quae „iustitia“, sicut dicis, „non in se sed in nobis vivit, immo potius nos secundum illam vivimus, ipsa vero per se iustitia nequaquam vivit“, ad hoc ut tibi ipse respondeas, illud intuere, utrum recte dici possit vitam[2] ipsam non vivere, qua fit, ut vivat, quicquid non falso dicimus vivere. Puto enim absurdum tibi videri, ut per vitam vivatur et vita non vivat. Porro si vita ipsa praecipue vivit, qua vivit omne, quod vivit, recole, obsecro, quas dicat scriptura divina animas[3] mortuas; profecto invenies iniustas, impias, infideles. Nam licet per illas vivant corpora impiorum, de quibus dictum est, quod *mortui*[4] *sepeliant mortuos suos*, et ibi intellegantur etiam iniquae animae non esse sine aliqua vita — neque enim aliter ex eis possent corpora vivere nisi qualicumque vita, qua omnino animae carere non possunt, unde inmortales merito vocantur —, non tamen ob aliud amissa iustitia dicuntur mortuae, nisi quia et animarum licet inmortaliter vita qualicumque viventium verior et maior vita iustitia est tamquam vita[5] vitarum, quae cum sunt in corporibus, etiam ipsa corpora viva sunt, quae per se ipsa vivere nequeunt. Quapropter si animae non possunt nisi etiam in se ipsis utcumque vivere, quia ex eis vivunt et corpora, a quibus

---

6 te *om. codd.* 7 quae] cf. p. 9, 11 8 nos potius *edd.* 21 qualicumque vita *edd. praeter a e* 22 sunt] sint *edd. praeter a e*

---

valet fides, qua credimus, quam rerum corporalium species, quam per oculos cernimus corporales. Sed sicut homines, inter quos viventes motusque vitales exserentes vivimus, mox ut adspicimus, non credimus vivere, sed videmus, cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conspicimus: ita quacunque spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur. Aut ergo sic per illos oculos videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo et incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis sive scripturarum testimoniis divinarum vel difficile est vel impossibile ostendere; aut, quod est ad intellegendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in se ipso, videatur in caelo novo et terra nova atque in omni, quae tunc fuerit, creatura, videatur et per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritalis corporis oculi acie perveniente directi.

[1] Epist. 119 n. 5 p. 9, 9—13.

[2] De trinitate, l. XV c. 5 n. 7 (MSL 42, 1061 s.). In Ioann. tr. 48, n. 6 (MSL 35, 1743); tr. 70 n. 1 (1818).

[3] In Ioann. tr. 49 n. 15 (MSL 35, 1753 s.). [4] Matth. 8, 22.

[5] Confess. l. III c. 16 n. 10 (CSEL 33, 52); l. VII c. 1 n. 2 (141); l. X c. 6 n. 10 (234).

deserta moriuntur, quanto magis vera iustitia etiam in se ipsa vivere intellegenda est, ex qua sic vivunt animae, ut hac amissa mortuae nuncupentur, quamvis quantulacumque vita non desinant vivere!

19. Ea porro iustitia, quae vivit in se ipsa, procul dubio Deus est atque incommutabiliter vivit. Sicut autem, cum sit in se ipsa vita, etiam nobis fit vita[1], cum eius efficimur utcumque participes, ita, cum in se ipsa sit iustitia[2], etiam nobis fit iustitia, cum ei cohaerendo[3] iuste vivimus, et tanto magis minusve iusti sumus, quanto illi magis minusve cohaeremus. Unde scriptum est de unigenito Filio Dei, cum sit utique Patris sapientia atque iustitia et semper in se ipsa sit, quod *factus*[4] *sit nobis a Deo sapientia et iustitia et sanctificatio et redemptio, ut, quem ad modum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quod quidem et ipse vidisti addendo atque dicendo[5]: „Nisi forte non haec humanae aequitatis sed illa, quae Deus est, sola adseratur esse iustitia.“ Est plane ille summus Deus vera iustitia vel ille verus Deus summa iustitia, quam profecto esurire[6] ac sitire ea nostra est in hac peregrinatione iustitia et qua postea saturari ea nostra est in aeternitate plena iustitia. Non ergo Deum nostrae iustitiae similem cogitemus, sed cogitemus nos potius tanto similiores Deo, quanto esse potuerimus eius participatione iustiores.

20. Si ergo cavendum est, ne iustitiae nostrae similem putemus Deum, quoniam lumen, quod inluminat, incomparabiliter excellentius est illo, quod inluminatur, quanto magis caveri oportet, ne aliquid inferius et quodam modo decoloratius eum esse credamus, quam est nostra iustitia! Quid est autem aliud iustitia, cum in nobis est, vel quaelibet virtus, qua recte sapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo?[7] Et certe secundum hanc pulchritudinem magis quam corpus sumus ad[8] imaginem Dei, unde nobis dicitur:

---

5 autem] haec *OT* autem haec *Plsrm* ipsa *om. codd.* 8 magis illi *edd.* 10 ipsa] ipso *O edd. praeter m* 11 a deo *om. BPT* 14 haec] *cf.* p. 9, 13 esse asseratur *edd.* 16 ac] et *P edd.* 19 poterimus *edd.* 28 corpus] corporis *O a* corporis facti *e f* secundum corpus facti *cet. edd.*

---

[1] In Ioann. tr. 70 n. 1 (MSL 35, 1818).

[2] De trin., l. XIV c. 12 n. 15 (MSL 42, 1048). Cf. Rom. 1, 17.

[3] Conf. l. I c. 9 n. 15 (CSEL 33, 13); l. VII c. 17 n. 23 (162). De gen. ad litt. l. imperf., c. 16 (CSEL 28, 1 p. 500). De trin., l. VI c. 3 (MSL 42, 926); l. XIV c. 14 n. 20 (1051); l. VII c. 3 n. 5 (938).

[4] 1. Cor. 1, 30 s. [5] Epist. 119 n. 5 p. 9, 13 s.

[6] Matth. 5, 6. Confess. l. X c. 27 (CSEL 33, 255). De beata vita IV, 35 (Floril. Patrist. 27, 22). De trin., l. XIV c. 14 n. 20 (MSL 42, 1051).

[7] De trin., l. XIV c. 15 s. (MSL 42, 1051—1054).

[8] Primo Augustinus, vestigia nonnullorum aliorum scriptorum ingrediens, imaginem ad dona supernaturalia pertinere ideoque peccato perdi, postea hominem naturaliter ad imaginem Dei factum esse ideoque peccato tantummodo deformari

Nolite[1] *conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate mentis vestrae ad probandum vos, quae sit voluntas Dei, quod bonum et placitum et perfectum.* Si ergo non in mole neque in distantibus per loca sua partibus, sicut corpora sive cernuntur sive cogitantur, sed in virtute intellegibili, qualis est iustitia, mentem dicimus seu novimus seu volumus pulchram et secundum hanc pulchritudinem reformamur ad imaginem Dei, profecto ipsius Dei, qui nos formavit et reformat ad imaginem

7 formavit]reformavit *edd. praeter m*

putavit. Priorem sententiam invenies De gen. ad litt., l. VI c. 27 (CSEL 28, 1 p. 198 s.). Quod opus retractans (Retract. l. II c. 50, CSEL 36, 160 = c. 24 n. 2 sec. MSL 32, 640) non existimandum esse in Adam nullam imaginem remansisse, sed tam deformem, ut reformatione opus haberet, contendit. Eandem sententiam continet opus De spiritu et littera, c. 28 n. 48 (MSL 44, 230): Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere; et hoc est quod dictum est, quia gentes quae legem non habent, hoc est legem Dei, naturaliter quae legis sunt faciunt, et quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, et scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur, impressum est, etiam sic illa differentia non perturbabitur, qua distat a Vetere Testamentum Novum, eo quod per Novum scribitur lex Dei in corde fidelium, quae per Vetus in tabulis scripta est. Hoc enim illic scribitur per renovationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem. Nam sicut ipsa imago Dei renovatur in mente credentium per Testamentum Novum, quam non penitus impietas aboleverat ....

In commentariis ad psalmos et in sermonibus modo prior sententia supra memorata, modo posterior reperitur: In ps. 72 n. 26 (MSL 36, 925 s.); In ps. 75 n. 3 (959); In ps. 4 n. 8 (81); In ps. 94 n. 2 (MSL 37, 1217 s.); In ps. 103 sermo 4 n. 2 (1379). Sermo 9 c. 8 n. 9 (MSL 38, 82); Sermo 90 n. 10 (566); Sermo 52 c. 6 n. 17 (360 s.).

Imaginem in mente naturaliter divinitus institutam esse clarissime copioseque in opere de trinitate tractante ostendit: L. XIV c. 14 n. 18 (MSL 42, 1050); l. XV c. 20 n. 39 (1088); peccato igitur imago amitti non potuit: l. XIV c. 14 n. 19 (1050 s.); evanescit tamen eius pulchritudo: l. XIV c. 16 (1053). Quam reformare non potest homo sua ipsius virtute, sed tantummodo fide in Christum redemptorem: l. XIV cc. 16 et 17 (1053—1055). Summam perfectionem imago adipiscetur, quando videmus Deum facie ad faciem: De trin., l. XIV cc. 17 et 18 (1054 s.).

Adam peccato imaginem Dei perdidisse nonnullos existimavisse Epiphanius, Haeres. 70 n. 3 (MSG 42, 341—344). narrat. Quid scriptores ecclesiastici hac de re senserint, accuratius exponit Anonymus [= F. H. Staudenmaier], Die Lehre vom göttlichen Ebenbilde im Menschen, in: Theologische Quartalschrift, Tübingen 1830, 199—284.

Etiam corpus aliquo modo Dei imaginem esse Augustinus saepius dicit: De genesi ad litt. l. imperf. c. 16 n. 60 (CSEL 28, 1 p. 501). De gen. contra Manich., l. I c. 17 n. 28 (MSL 32, 186 s.). De diversis quaest. 83 q. 51 n. 3 (MSL 40, 33). De haeresibus, n. 76 (MSL 42, 45) haeretice putari corpus, non animam esse imaginem hominis refert.

[1] Rom. 12, 2.

suam, non in aliqua mole corporea suspicanda est pulchritudo eoque iustorum mentibus credendus est incomparabiliter pulchrior, quo est incomparabiliter iustior. Haec dilectionem tuam, quantum ad usitatum epistularum modum pertinet, prolixius forsitan, quam expectabas, quantum autem ad tam magnae rei quaestionem, breviter admonuisse suffecerit, non ut satis sit eruditioni tuae, sed ut aliis quoque lectis auditisve diligenter instructus ipse uberius tua secus dicta redarguas, quod est utique tanto melius, quanto fit humilius et fidelius.

4 attinet *edd.* 6 lectis auditisve *Goldbacher; codd.:* lectis auditis vel; *edd.:* lectis vel auditis

Piererische Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co., Altenburg, Thür.